

A ET Ω .
DOCTRINAE
CHRISTIANO-EVANGELICAE
SPECVLVM

ORDINEM SALVTIS
EX PVRRISSIMIS ISRAELIS FONTIBVS
DEDVCTVM
PERPETVO NEXV REFERENS.

AVSPICIIS DIVINIS

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO SCHROEERO

S. S. THEOL. D. ET P. P. ORDINIS THEOL.

SENIORE,

ET ALVMN. REGIO-ELECT. EPHORO

PRAECEPTORE SVO

PATRIS INSTAR SVSPICIENDO

A. MDCCXXXIII. D. SEPT.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIEBAT

IOANNES BLASIVS

ZOL. LIPTS. HVNG.

Handwritten scribbles and numbers, possibly a library or collection mark.

Coll. diss. A
219, 4

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE KOBERSTEINIANAE.

Diff. A. 219. (4)

A ET 2

DOCTRINAE
CHRISTIANO-EVANGELICAE
SPECIEM

ORDINEM SALUTIS
EX PARISSIMIS ISRAELITIS RONTIBVS
DEDUCTVM
PERPETVO NEXV RIKRENS.



GEORGIO FRIDERICO SCHRODERO

S. S. THEOL. D. ET P. P. ORDINIS THEOL.

SENIORE

ET ALUMNI REGIO-BLICO-ETHORO

PRAELECTORE SVO

PATRIS INSTA SVSICENDO

IN AUDITORIO MAIORI

PUBLICO EPIDORVI EVANGELI SVBICIBAT

IOANNES BLASIVS

WITTEBERG, PATER VIVAE KONIGSTADINAE



THESIS I.



Vm omne salutis humanæ mo- *De Theo-*
mentum ex sola reuelatione hau- *logia.*
riendum fit, hæc ipsa vero, sapi-
entia diuinæ mysteria, i. Cor. II.
7. imperuestigabilesque diuitias
Christi, Eph. III. 8. complectatur,
dispiciendum omnino erat, qua
cognitionis clauē, Luc. XI. 52. vtendum, aut qua *via,*
Actor. XVIII. 26. eundum fit, si doceri ad regnum
cælorum cupias. Matth. XIII. 52. Vtrumque
THEOLOGIA a) suppeditat, vtpote habitus
Ebr. V. 14. intellectus practicus, b) hominem post
lapsum, ex verbo reuelato i. Cor. II. 10. per fi-
dem c) Ioh. XX. 31. ad vitam æternam, Ioh. XVII. 3.
perducens.

a) Vfus vocis alius *acroamaticus* est, alius *catecheticus*.
Ille Theologo competit, cuius est, solidiori cibo capi-
endo parem esse, Ebr. V. 14. infidias, ouili Christi inten-
tatas, sancto zelo, Tit. I. 9. 13. inter genuinæ tamen mo-

derationis terminos, 2. Tim. II. 24. amoliri, & ex verbi
 diuini visceribus, omne id, quod ad perfectum homi-
 nem in Christo statuendum seruit, Col. I. 28. eruere.
Hic, omnibus viatoribus communis est, & fundamen-
 tum in primis salutis concernit. Ebr. V. 12. Quæ
 hætenus Ecclesiam in mutua vulnera concitabant de
 Theologia Doctoris non pii *συρραξεις*, ex confusione ha-
 bitus Theologiæ & pietatis, gratiæ adstantis & inha-
 bitantis, donorum administrantium & sanctificantium,
 nexus metaphysici & moralis, Christianismi denique
 & ipsius Theologiæ, ortæ sunt, dum, quod vni propri-
 um erat, alteri vindicatum est perperam aut, a subiecti
 conditione, ad ipsum habitum, non sine graui *absolu-
 tismi*, ipsiusque *donatismi* suspicione, ἀπροσδιονυσως conclu-
 debatur. vid. D. SAM. SCHELGVIG. Supplem. Syn.
 Theol. II. III. IV. b) Praxin puta *fidei*, Ioh. I. 12. non
sanctificationis, quæ vt *ordo* tantum, 1. Tim. I. 5. Ebr. XII.
 14. ad *finem vltimum* se habet, quam quidem innuere vi-
 dentur, qui hoc loco pro *restauracione imaginis diu.* de-
 certant. Conf. FECHTIVS Syllog. p. 39. c) Solius
 Theologiæ post lapsum τὸ πᾶν, fides hæc est: ante lapsum
 enim obtinebat Lex, Gen. II. 17. ἀκύρωτος ergo, *fides per cha-
 ritate[m] efficax* vtrobique neruus rei constituitur: nisi
 restauracionem imaginis diu, in regenerationis momen-
 tum inferre velis. vid. Ven. V. E. LOESCHERVS Stro-
 mat. de Renovat. p. 122. & 95.

Ἐπιμνησις practica.

Tu, qui in disciplinam Domini concessisti, solo in verbo Magistro vsurus
 Deo, Iob. XXXVI. 23. Ps. XCIV. 10. nec tamen ope tua eum, qui in luce habitat, 1. Tim.
 VI. 16. videre sustines, Matth. XVI. 17. tecum prius habita, & missõ præsumptæ
 scientiæ nuntio, Prov. XXVI. 12. dum videris Tibi sapiens, stultus fias, vt sapiens
 euadas. 1. Cor. III. 18. Tunc, natura, 1. Cor. II. 14. gratiam sæpe mentita, in diuinis
 subiugata penitus, 2. Cor. X. 5. quippe credi, non sciri, volunt diuina, Ebr. XI. 1. 6.
 vs assequendo sensui Christi par sis, 1. Cor. II. 16. lumen Spiritus S. per verbum

tenebras mentis tuæ pulsarum exora, cuius beneficio, quomodo in semitis di-
vinis gradiendum; Psal. CXIX. 105. aut qui laquei vitandi sint, Psal. XXV. 15.
edoctus, omne id, quod Dei est intentionis, tuæ esse executionis arbitrare,
Iac. I. 21. sq. Beatus es, si quæ scis, feceris. Ioh. XIII. 17.

THESIS II.

Sed vero, si salus hominibus destinata semel, *De religi-*
capessenda sit, *cognosci simul & coli a) voluit one.*
Deus. Vtriusque iterum rationem RELIGIO
suppeditat, homini, per peccatum a Deo auulso,
Mal. II. 8. verbo diuino *b)* præscribens, quomo-
do per fidem, *c)* vtramque Christi obedientiam
amplectatur, eaque iustificetur, & cum Deo red-
vinitus, charitatem erga Deum & proximum ex-
erceat, denique, finaliter credens, saluetur.

a) Cultus Numinis, cum princeps portio sit *diui-*
ni iuris maiestatici, quo creaturam rationalem sibi ob-
strinxit Deus, tanto magis docendus nobis venit, quan-
to tutius spes salutis nostræ, intra veræ religionis po-
mceria quæri & inueniri solet. Ideo facessere hinc
volumus, iam *Atheos*, qui ex malitia mentis vel vitæ,
Deum ipsum eiusque cultum, dum sensum negare,
nisi hominem exuere velint, nequeunt, inficiantur:
iam *Naturalistas*, & quosuis *Irreligionarios*, qui omnes
spurium de DEO conceptum sibi formantes, vel spu-
ria, vel nulla in Deum obligatione tenentur: eos de-
nique, qui diuina, *extra sortem cognoscendi* posita esse
rati, quid Deus sit, nesciri prorsus, saltem scrutari
opus non esse, cum ΣΤΟΒÆΟ in Eclog. Ethic. *περὶ*
τῶν τὰ θεῖα ἐρμηνευόντων, p. 156. spreto inter τὸ ἀκατάληπτον
& ἀνόητον θεῖον discrimine, docent: sic nimirum ex du-
bia Dei notione, dubia in Deum officia fluere necesse
est.

est. vid. Ven. LOESCHERI Prænot. Theol. pag. 83.
 b) Contra eos, qui præscriptæ colendi Deum rationi
 varia superstitiose de suo assuunt. Vti vero verbum
 Dei, vt *normam primariam directivam*, (cum CARPZO-
 VIO loquor, Ifag. LL. SS. p. 27. sq.) ad quam religio
 formari debeat, veneramur, ita Indifferentistis, & aliis
 obicem posituri, *confessionis nostræ normam*, ex scriptu-
 ra, *singulari Dei directione* deductam admittimus, vt
 hoc veluti Symbolo Ecclesia DEI ab aliis cæteribus
 discernatur, libidinique quorundam, quodlibet dogma
 ex scriptura elicienti, nostra in primis ætate, spiritui
 interno, *libertatem flandi ubi vult*, vt loquitur B. FECH-
 TIVS Syll. p. 78. sibi sument, occurratur. Non tan-
 tum ergo pro religione testimonium dicunt Libri
 Symb. alioqui eadem iis cum testibus veritatis qui-
 busuis foret auctoritas, sed & *normandi vim*, licet *de-
 pendentem* habent, atque adeo, *quia* cum Scriptura con-
 veniunt, *plenum*, non *scrupulosum* assensum merentur.
 c) Fides nimirum, hic primas tenet, vt anima & con-
 stitutum religionis. vid. CALOVII Syft. T. I. C. II.
 p. 91. Neque vero a religionis *praxi* charitatem ex-
 cludimus, cauente id Apostolo Act. XXIV. 14. 15. 16.
 addimus tamen, sanctitatem morum, nec efficiendo
 constituere, nec continuando confirmare religionem:
 hanc tamen, si absque fructu pietatis sit, vanam esse,
 & fructu salutis carere. vid. FECHTII Syll. de relig.
 Thes. IX. pag. 47. GRAPPII Comp. Theol. p. 24. seq.
 Pessime vero *Spinoza*, ad religionem non nisi pietatem
 requirit. Tract. Polit. C. XIII. p. 154. Nec melius faci-
 unt, qui posthabito cultus diuini præscripto, religio-
 nem trium momentorum angustiis claudunt: si
 enim *amare Deum, amare proximum, odio prosequi se ipsum*
 religionis neruus est, ex riuulis bibuntur aquæ, quip-
 pe neglecta *fide*, fontis latices negliguntur.

Ἰπὸ μνη-

Ἰπόμενης practica.

Qui verè te religioni mancipasti, persuasus, *posito patrè, filium & obse-* *Morneus de*
quum, posito homine, Deum & religionem poni, memineris, duplici te in Deum *berit. relig.*
 obligatione teneri, cum quod rectore indigeas, tum quod a Deo dependeas, *Christian. Ce*
 & ex huius cognitione eruere possis, quam sollicitus te tuamque salutem cu- *20. p. 310.*
 ret. Tanto ergo magis eorum licentiam auersare, qui auellere vincula, &
 abiicere funes, Pl. II. 3. impio conatu gessunt, quanto tenaciore vinculo Deo
 tuo obstrictus es, vt eo curatius ad salutem serueris. Inprimis, veram reli-
 giosi indolem adsecuturus, in nuda veritatis divinæ professione hoc minus
 adquiesce, quo Dominus intuetur cor, i. Sam. XVI. 7. verique adoratores, Pa-
 trem in spiritu & veritate adorare dicuntur. Ioh. IV. 23. *Vnctus es oleo Christi, August. Soli-*
se a Christo dicereris Christianus, fac, nomini tam eximio religio tua respon- *log. T. IX.*
 deat, & quem fide colis, hunc luce tua glorifices. Matth. V. 16. *C. 13. p. 524.*

THESIS III.

Vtriusque, Theologiæ & Religionis princi- *De Scri-*
 pium, Verbum Dei est, & clauso canone, sola *a) ptura S.*
 SCRIPTURA S. mentem diuinam, per immediatam
 Spiritus S. inspirationem, i Tim. III. 16. a Prophe-
 tis, Euangelistis & Apostolis consignatam, 2. Pet.
 I. 21. nobiscum communicans, vt hoc medio, *b)*
 perfectaue, Matth. V. 18. perspicua, Pf. CXIX. 105.
 & *αὐτοπίσω* fidei morumque regula, Gal. VI. 16.
 homo peccator, efficaciter *c)* Rom. I. 16. ad salu-
 tem instruatur ac perducatur.

a) Missas hic facimus *1) traditiones*, extra tradi-
 tam semel a Viris *θεοπρέπουσις* veritatem, 2. Thess. II. 15.
 1. Cor. XI. 23. XV. 3. commendari suctas, tutius esse
 arbitrati, viam examinis, Ioh. V. 39. sequi, quam aucto-
 ritate *ἐνὸς ἀνθρώπου* frustra *אמרים* & *אמרים* obfignato iam
 canone, Apoc. XXII. 18. nisi *ἐνθροιάζειν* velit, præferen-
 tis, stare. *2) Rationem*, non propter *honestam* illius
 circa scripturam *seruitutem*, (euacuationem enim fa-
 culta-

cultatis perceptivæ adserere fanaticum foret) sed ne huic superstitiose litando, tamquam in acroaterio Aristotelis versantes, nihil admittere videamur, quam quod rationi, aut conceptæ semel hypothesei consentaneum fuerit. 3) *Novas revelationes dogmaticas*, postquam seculum maioris revelationis, ipsaque reuelatio *ultima*, Ebr. I. 1. 2. cum Christo, Ioh. XV. 15. & Apostolis, Act. XX. 27. contigit. Nec 4) iis subscribimus, qui, quidquid per *experientiam* seu *sensum internum* percipitur, aut *renouatæ mentis* iudicio conuenit, id demum verum esse, vel denique *gustum spirituale* lydi-um esse lapidem, ad quem omnia in Scriptura examinanda sint, non sine graui *καινοφουίας* suspitione statuunt. Verendum est, ne vel sub sensu interno, vel tam sublimi pietatis in Theologia positu, vel denique sub rerum diuinarum gustu, quem fructum demum & phænomenon fidei, qua creditur, dicimus, ὑπερόν τι fanaticum lateat. vid. Ven. LOESCHERI Prænot. Th. pag. 203. & 364. b) ἐνεργητικῶ effectuum spiritualium, non nudo instrumento aut signo. vid. BÜCHERI RATHMAN. rediu. p. 72. c) Habet scil. Scriptura vim diuinam intrinsecam etiam extra usum, quippe inseparabili comite Spiritu S. gaudens. Conf. B. LUTHER. T. IV. Jen. lat. fol. 530. Quæ efficacia, Esa. LV. 11. dum & in impios cadat, Rom. II. 20. sq. (vid. CALOV. Bibl. ill. h. l. p. 49.) sensum litteralem a salutari distinguere, vel superfluum fuerit, vel ἀτοπον, dum Scriptura pro simplicitate sua, duplicem formam respuat. vid. B. IANI Theosoph. Orthod. p. 39. sq. Circa lectionem Scripturæ S. cum alii nulli laico, sine speciali priuilegio eam permittant, alii in extremum aliud prolabantur, & neglecto inter scrutinium Scripturæ *catecheticum* & *exegeticum* discrimine, omnibus publicam illius interpretationem, illata sacerdotio
spiri-

Spirituali vi, concedant, nos medium amplectimur, ex Ioh. V. 39. 1. Thess. V. 20. Rom. XII. 6. 7.

Ἐπισημῶς practica.

Qui Deo religatus, huic in civitate DEI, Cant. III. 2. parere spondidisti, id cura, in quo tuum Deus exerceri voluit obsequium, tanto maius tibi iudicium adtracturus, si spreto de salute tua *consilio Dei*, Luc. VII. 30. humana potius statuta sequaris, Col. II. 22. sq. aut posthabito fonte, cisternas inanes quæras, Ierem. II. 13. quanto, elapso ignorantie tempore, Act. XVII. 30. ad *cognitionem veritatis*, divinis pandectis comprehensæ, vocatus es. 1. Tim. II. 4. Huc vero, non rationis supercilio, sed simplici pectore te accinge, ne in hoc *mysteriorum diuinorum mari, nates cum elephante, qui peditare cum agno poteras. Adfer, non dolo. Gregor. M. sam tuam, sed diuinam stateram, & in illa, quid sit grauius, appendas, immo August. L. II. non appendas, sed a Domino appensa recognoscas. Et dum ex te, non nisi Contra Do. caligine obrutus es, huic luci, 2. Pet. I. 19. adtende, quæ per patientiam & consolationem, spem tibi, gloriæ lucem adeundi, conciliet. Rom. XV. 4. nat. C. VI.*

THESIS IV.

Quem vero cognoscendum & colendum, non *De DEO.* sufficienter natura, a) Rom. I. 19. 20. complete vero & salutariter Scriptura, Ebr. XI. 6. proponit, DEVS est, יהוה אלהים Spiritus, Ioh. IV. 24. independens, Esa. XLIV. 6. vnus in essentia, b) Deut. VI. 4. trinus c) in personis, 1. Ioh. V. 7. d) Pater ingenitus, ab æterno Filium gignens, Ps. II. 7. ac Spiritum S. spirans, Ioh. XV. 26. Filius, ab æterno ex Patris essentia genitus, e) Ioh. I. 18 idemque Spiritum S. ab æterno spirans, Gal. IV. 6. & Spiritus S. f) Act. V. 3. 4. (Conf. Esa. VI. 9. cum Act. XXVIII. 25. sq. Ps. XCV. 7. sq. cum Ebr. III. 7.) ab utroque procedens: g) Deus, vt omnium rerum *Conditor*, ita hominum *Redemptor & Sanctificator.*

a) Notitia Naturalis, dum vel *instita* fit, hominem ad agnoscendam existentiam cultumque Dei *per se & sine* discursu impellens, vel *acquisita*, ex contemplatione huius vniuersi orta, dari quidem Ens aliquod summum, cuius

B

cuius

cuius sensum ex conscientiae, causarumque secundarum suggestione subterfugere nemo possit, ex natura liquet, quorsum *trivium* Scholasticorum opportunum satis videtur; tamen, cum lumen Nat. ultra considerationem Dei *absolutam* non ascendat, licet hic alii, ex puncto summi boni, quod communicatum sui sit, alii, ex similibus e natura desumptis, aliquid demonstrasse sibi visi sint, est omnino, manetque ad salutem minus sufficiens: nec enim verum didicit Deum, qui *unum* admittens, in essentia, *trinum* in personis negat. *b)* Infausto conatu nuper *Paulus Mary*, Past. Ref. docere sustinuit, non tantum tres personas in Deo dari, sed tres quoque essentias, quæ tamen sibi subordinentur. Prouocat ad dogma incarnationis Christi, qui mox æqualis Patri, mox inæqualis dicatur: quasi vero de Filio Dei id valeret in *Theologia*, quod valet in *Oeconomia*. vid. *Noua litt. Hamb. an. 1732. Num. 69.* *c)* Hinc Trinitatis vox, licet *ἀγπαφος*, tamen quoad rem in scriptura vtriusque Testamenti fundata, (vid. *IAC. MARTINI* de tribus Elohim L. II. p. 136. sq.) auctoritate quoque *IUSTINI MART.* Op. p. 379. *CYPRIANI*, de orat. Dn. §. 21. contra Ariano- rum veterum & recentiorum iniurias sese tueretur. Conf. *GEORG. BVLLVS*, in defens. Fid. Nic. p. 106. it. *CALOV.* Script. anti Socin. P. II. T. I. Confessionis marty- rum & aliorum fidelium p. 484. seq. Ipse *LUCIANVS* empæcta, vel eo antiquior quispiam, in *Philopatr. T. II.* p. 770. edit. Amst. dudum ante Conc. Nicænum, ægre fert, Christianos ex *tribus*, calculo naturæ imperuio, fa- cere *unum*. vid. *D. FRID. ERN. KETTNERI* Hist. dicti I. Ioh. V. 7. p. 15. *d)* De huius dicti authentia vid. *IO. GERHARD.* Disput. it. *IO. MILLIUS*, in notis Epistolæ Iohannæ subiectis pag. 579. sq. licet adversariorum arma scrupulosius inquirens. Conf. *GRAPPI* Theol. rec. contr. pag. 187. *BECHMAN.* Theol. polem. p. 223. *e)* Pro-

e) Propterea verus Deus, non diuinitate donorum, sed naturali, independente & æterna, ne quis fallaciæ Catecheseos Rakow. locus relinquatur: eiusdem quoque cum Patre *identitatis*, non tantum *similitudinis*: est enim imago Patris Ebr. I. 3. patrem scilicet, ceu personam essentia & subsistentia præditam repræsentans. f) Dum operationes sint suppositorum, Spiritus S. vero operetur quod vult, I. Cor. XII. 11. consequitur, personam esse. vid. HOLAZ. Exam. Theol. p. 325. g) Schisma de processione Spiritus S. *a filio*, in Orientali Eccl. necdum defuisse, testatus est IEREMIAS, Patriarcha CPolit. qui in responso suo Theologos Tubingenses ea propter hæreseos prope postulare non dubitat.

Ἐπισημῶσις practica.

Si sine Deo esse, summa egestas est, nec inter conscientie morsus animi tranquillitatem inueniunt athei, quin, *primæ scelerum sunt causa mortalibus agris, naturam nescire Dei*: tanto magis cum Deo habita, quisquis per naturam & gratiam, tibi se reuelantem cognouisti. Nolle Deum sapientia summa est, Ier. IX. 24. *Sil. Ital. L. IV. S. 797. sq.* eaque officiorum, quæ tibi, si operibus, quem nosti, abnegare nolis, Tit. I. 16. incumbunt, genitrix. Deus est, tuæ te tenuitatis admonet, sanctus est, sanctum te esse iubet, iustus est, timeri vult, misericors est, dignus est quem ames, verax & fidelis est, promissionibus eius firmiter credas. Hoc solum venerare Numen, misso trino mundi numini nuntio penitus; sed, cum Deo *θεοπροσπῶς* agi debere persuasus, omnem hic profanitatem exue, Exod. III. 5. ne, *quod papilionibus, lumen circumuolitantibus accidit, tuæ quoque menti, circa arcanam illam flammam, Deut. IV. 24. lasciuienti eueniat.* *Lipsius de Const. L. II. C. XII.*

T H E S I S V.

Nimirum, tanti nominis mensuram impleturus, Vnitrinus hic Deus, non quidem gloriæ suæ *De Creatione.* testium indigus, ipse sibi per omnia sufficiens, ex liberrima duntaxat voluntate, totum hoc vniuersum, Gen. I. 1. Ps. CXV. 15. ipsosque *Angelos*, a) Ps. CIII. 4. Iob. XXXVIII. 4. Rom. VIII. 38. Col. I. 16. per *sex ἡμέρας*, Gen. I. 31 ex nihilo, b) Ebr. XI. 3. Rom. III. 17. produciens, I. Cor. VIII. 6. Ioh. I. 3. Gen. I. 2.

hominem c) quoque, Gen. II. 7. quem in signo ratio-
nis creandum ab æterno decreuerat, d) in tempo-
re, ex gleba terræ, Gen. II. 7. postremo CONDIDIT,
ad sui gloriam, Prov. XVI. 4. Pf. CXLIX. II. & ho-
minum salutem.

a) Angeli, natura Spiritus dependentes, completi,
Ebr. I. 7. in *bonos & malos* dispesci solent. *Illi*, nunc in
bono confirmati, quia gaudent visione Dei *intuitiua*,
completa & continuata, Matth. XVIII. 10. adeoque ex
statu *gratiæ*, in quo labi poterant, in statum *gloriæ*, in
quo non possunt labi, gratiose translati sunt: *si enim*
certum est, in statu *iræ ac damnationis æternæ esse malos An-*
gelos, quidni certum erit, in statu *gloriæ bonos esse*, qui *electi*
angeli dicuntur, I. Tim. V. 21. vt loquitur B. CALOV. Con-
fid. Armin. p. 143. *Hi*, principatum suum non tenen-
tes, Iud. v. 4. sed Deo rebelles, sine omni liberationis spe,
Matth. XXV. 41. 46. æternis cruciatibus adseruantur.
Contra Doctores misericordiæ, & recentiores quosdam,
ἀποκατάστασις patronos, vid. Io. ERN. GERHARDI Aug.
Conf. enucl. edit. MÜLLER. p. 266. sq. B. FECHT. Syll.
p. 81. sq. b) Nihilum puta partim pure *negatiuum*, ex
quo materia prima, Gen. I. 2. lux primigenia, v. 3. An-
geli, anima Adami, C. II. 7. partim *priuatiuum*, ex quo re-
liqua. A fictionibus *Cartesii*, creationem iuxta leges
motus factam esse somniantis, vt scrupulosis magis &
in magisterium Spiritus S. iniuriis, abstinemus merito.
c) Adamum scilicet proprie accepto nomine, eumque o-
mnium hominum primum. vid. CALOV. Apod. X. pag.
145. sq. Contra Præadamitarum ineptias, vid. Gen. II.
5. 7. 18. 20. 24. Coll. Matth. XIX. 4. Gen. III. 20. Actor.
XVII. 26. Conf. BECHMAN. Theol. polem. p. 296. d)
Quidquid enim fit in executione, tamquam a causa
prima proueniens, id in intentione fuisse, necesse est.

Ἰπόμνη-

ὑπόμνησις *practica.*

Qui nihil eras, iam homo es, immo gloriæ cœlestis candidatus, saxo durior sis, nisi tecum repures, quid quantumue Deo debeas. Si res creatæ aliæ, sed perituræ, gloriam Dei enarrant, Ps. XIX. 2. quanto magis te creatoris tui laudibus non nihil dare oportuerit, qui ultra id, quod commune cum aliis habes, animam quoque immortalem accepisti, Matth. X. 28. Apoc. VI. 9. vt æternum suavi cum DEO consortio lites, immo id in primis habes, quod dum omnia propter te, Gen. I. 28. Syr. XXXIX. 26. tu solus propter Deum creatus sis. Esa. XLIII. 7. Igitur, quem te Deus esse iussit, tecum penitus reputa, & inito sic calculo, numquam aliquid committes, cuius causa, vel creatorem tuum pudeat tui, vel tu, in corpore tuo, affabre factò, sapientiam & gratiam Dei præferens, incurri ingratiq̃ue animi notam incurras. Id præcipue cura, vt dum saluandum creare prius constituerat Deus, creatio tui, intentioni diuinæ apprime respondeat.

THESIS VI.

Cum vero nihil, quod esse suum a Deo accepit, *De Providentia.* tam stabile sit, quin, vt bene sit, conseruatione indigeat, Ps. CIV. 28. sq. Col. I. 17. Deus, ab actu creationis immediato, a) & instantaneo, septimo die quiescens, Genes. II. 2. rebus a se creatis omnibus, Matth. X. 29. spec. hominibus, Matth. V. 45. in primis fidelibus, Ps. XXXIII. 18. Ebr. I. 14. PROVIDERE constituit, vt a deo singula, b) secundum necessariam, c) non tamen necessitantem d) præscientiam, Psal. CXXXIX. 2. potenter ac sapienter gubernet, Ebr. I. 3. immediato concursu, e) non tamen seriem euentuum ex hypothesisi necessariorum, nec contingentium reliquorum tollens, f) conseruet, ad suæ sanctitatis, bonitatis & iustitiæ gloriam, hominumque emolumentum.

a) Recte interea Deum, vt Creatorem nostrum veneramus, cum quod propagationi rerum, plasticum illud פרו ורב a deoque facultatem generatiuam, κυβερνητικὴν & nutritiuam, vt CALOVIVS loquitur Theol. posit. p. 191.

indiderit, tum quod immediate in origines rerum, ipsiusque hominis formationem, aetivitate causali influat. Iob. X. 8. Psal. CXXXIX. 13. seq. Conf. Form. Conc. pag. 646. *b)* Quæ scilicet in genere *entis metaphysici* considerantur: ad peccata enim formaliter accepta, quia in *genere entis moralis* comprehenduntur, Deus, vi suæ sanctitatis non concurrat, Psal. V. 5. nisi concursum permissivum, permissionemque saltim *negativam* intelligas. vid. BECHMAN. Th. Polem. p. 352. *c)* Cum Deus non possit non vi omniscientiæ suæ videre ac intueri omnia, (vid. CALOV. l. c. p. 199.) ipsaque scientia Dei, circa omnia, quæ vel absolute, vel ex hypothesi eventura sunt, versetur. *d)* Deus enim prævidet futura, quia futura sunt, non vice versa: hinc recte præscientia rebus præscitis necessitatem inferre negatur. *e)* Non tamen *constringente*: ubique scilicet salva manet causarum secundarum, quæ causæ primæ in operatione subordinantur, libertas, si *miraculum* excipias. *f)* Necessitatem nimirum innuimus, non respectu actionum hominis, quas semper libere, minimum quoad actus Voluntatis elicitos, suscipit, sed ratione *euentuum*, ab actione libera dependentium, adeoque *hypotheticam*: posita enim causa, his, non aliis viribus instructa, hic, non alius ponitur effectus. Hinc recte veteres, *quemlibet fortunæ suæ fabricum* dixere. Huc redeunt, quæ de *termino vitæ*, non *fatali*, sed *hypothetico* dici solent, ubi pro *conditione subiecti*, dispensatio diuina obtinet. 2. Reg. XX. 6. Esa. LVII. 1. 2. Ps. LV. 24.

Ἐπιμνησὶς practica.

Quis inter homines similis Deo? dum exstructis architectus mapaliis, tanti immemor operis, abit, solus Deus spectabilem manuum suarum structuram, Esa. LXIV. 8. numquam deserit, nec, si ei præsto est, otiosus est, *aut extrinsecus saltem versat molem*, quin penitus circa sustentandam occupatur, & si casum minetur, dextram admovent. Quo maiori vero cura fabricatus es, homo, hoc maiore vteris providentia; hanc vero, ane sine deuotionis laudumque diuinarum documentis apud te operari permiseris? En, codicillis suis inscripsit te, Ps. CXXXIX, 19. numerat capillos tuos, Matth. X. 30. cornu copię tibi propinat, Ps. CXLV. 16. dextra sua amplexatur te, Cant. II. 6. & dum reliquis ea, quæ ad naturalem vitam faciunt, confert,

August.
Tract. II. in
Eu. Iob. p.
m. 12.

confert, tibi, æternum victuro, vitæ æternæ pascua aperit, Pf. XXIII. 2. Sed credi sibi vult, qui tanta in te ducitur fide, amari vult, qui tam teneri cura te prosequitur. Vtrumque in apricum produxeris, si explorari te, licet animi corporisque mollitudo contra nitatur, permittas. Et dum cum aduersa fortuna luctari oportet, Deo reluctari, religio tibi sit, potius, mente *αυταγυελας* studiosa, 1. Tim. VI. 6. discere ferre, quod fata iubent & Deus.

THESIS VII.

Nec vero satis erat, formatum corpus, spiritu *De Imagi-*
intelligente, 1. Cor. II. II. volente ac immortali, Matth. *ne Dei.*
X. 28. animasse, Gen. II. 7. quin, hominem, quo ob-
lectaretur, Prov. VIII. 31. & in quo, velut in speculo
suam intueretur gloriam Deus, 1. Cor. XI. 7. 2. Cor.
III. 18. ad IMAGINEM a) suam, sibi simillimam, b)
condidit, Gen. I. 26. hoc est, *sapientem*, c) Col. III. 10.
vt Deum trinunum, d) & omnia nosset, quæ inte-
ger nosse debebat, *iustum*, Eph. IV. 24. vt Deo, hunc
amando & colendo, quod suum erat, tribueret, eius-
que voluntatem libere e) exsequeretur, denique
sanctum, Lev. XIX. 2. vt omnis peccati expers, f)
omnisque luctæ inter carnem & spiritum ignarus
esset. Gen. II. 25. Quoad corpus vero *immortalem* g)
&, ne quid maiestati imaginis diu. externæ deesset,
creatarum rerum *Dominum*, b) Genes I. 26. sed de-
pendentem: omnia eo fine, vt hac eccellente cum
Deo conformitate naturaliter i) gaudens, Crea-
tori suo feruiat, eum colat, & in hoc fœdere k)
Ose. VI. 7. legali Gen. II. 17. perstans, perpetua fe-
licitate fruatur.

a) Imaginem Dei non quærimus in conuenientia
entis aut substantiæ, nec in essentia animæ spirituali, alias
amissa non fuisset, nec in essentia Dei identitate, quod
soli

soli filio Dei competit; Ebr. I. 3. sed in communicatis perfectionibus, facultatibus naturalibus superadditis, ut cum *bonus* esset homo vi creationis, Gen. I. 31. nunc κατ' ἔξοχην יֵשׁוּר fuerit, Eccl. VII. 30. nulla prorsus *obliquitate* a Deo ad creaturas propendens. *b*) Ita sese mutuo declarant voces יְמִית & צִלִּים ut vel tautologia euitetur, vel iis, quibus similitudo, supernaturalia, imago, naturalia dona notat, obuiam eatur. vid. GLASSII Philol. S. L. III. p. 553. sq. it. BALT. MEISNERI Anthropol. Dec. I. Disp. I. de Imag. diu. qu. IV. *c*) Non exclusæ puræ negationis ignorantia, nisi omniscientiam ei tribuere velis. *d*) Huius enim cognitio ipsi rerum creationi coæva est, ut docet *Basilii Seleuciensis*, apud HERM. VITSIVM Oecon. Fœd. L. I. C. II. p. 13. *e*) Neque enim illico, qui ex habitu agunt, amittunt libertatem: sic *rectus homo potest claudicare ex libertate*, ut instat B. SCHOMERVS, Colleg. Recent. Controu. p. 84. & qui ex habitu prudenter agunt, sobrie quoque viuunt. vid. HÜLSEMAN. de auxili. grat. p. 242. *f*) Licet peccare & non peccare potuerit, ad posterius tamen exsequendum instructior, quippe proposita sibi vita & morte, ut vitam potius eligeret, monitus, Deut. XXX. 19. Eleganter AVGVSTINVS: poterat

7. III. Op. C. Adamus permanere si voluisset, quia non deerat adiutorium, per
 X. XII. p. 505. quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, si vellet. *g*) Immortalitas hæc δευτέρας constituebat imaginem diu. tamquam consequens ἐννομίας, dum contra mors stipendium ἀνομίας dicatur, Rom. VI. 23. Vfus cibi & potus, erat medium vitæ *conseruatiuum*, non ab ingruente morte *præseruatiuum*, somnus vero, non *infirmi-
 mitatis*, sed *animalitatis* indicium. *b*) Dominium hoc, Imagini diu. erat tantum accessorium, nec enim dum ad hanc restaurari dicimur, dominium simul nobis restituitur, Eph. IV. 24. Col. III. 10. vel renouati ad Imaginem Dei, omnes sunt Domini: adeo, princeps quoque mundi,
 Ioh.

7. III. Op. C.
 X. XII. p. 505.

Ioh. XVI. II. imag. diu. capax foret. vid. B. CALOV. Socin. profl. p. 235. *i*) Naturalis erat hæc perfectio, & *ordinaria*, ex constitutione hominis *integri* fluens: amissa vero imagine, non desit quidem homo, sed desit esse *integer*, & qualis ex natura instituta esse debebat. Non ergo est *supernaturale* donum, vt *naturalibus* integris manentibus, imago Dei, iisdem detrahi potuerit, velut sertum sponsæ, virginitate manente illæsa. Conf. CALOV. Syst. T. IV. p. 467. *k*) Hoc fœdere, Adamum, & in hoc, vt capite *naturali* ac *federali*, posteros omnes, in populum suum sibi deposcebat Deus, vt si seruaret legem, ius ad vitam æt. præmii Ps. VIII. 5. non mercedis loco Luc. XVII. 10. haberet. vid. VITSIVS, Oecon. fœd. L. I. C. II. p. 11. sq.

Ἐπιπονησὶς practica.

Quam beata olim sors creaturæ erat, cui ad felicitatem, nisi ipsa sibi defuisset, Origen. Epl. *deerat nihil*, tam luctuosa est tua, peccator, conditio, qui, vnde excideris, reminiscens, & quod simulacrum Dei futurus eras, edoctus nunc, cum larva dæmonis luctari cogaris. Vah! quantum est dissimilem DEO factum esse semel. At, qui templum Zorobabelis, splendore, priori multo posterius, inter lacrimas Israelis intueris, Esdr. III. 12. gloriosius tamen aduentu Christi redditum, didicisti, primæuum tui decus in cœlesti Adamo recuperare stude, & qui Adami lineamenta portas, 1. Cor. XV. 49. vt secundum lineamenta Christi incedas, Gal IV. 19. adnitere. Huc vero eo te accinge promptius, quo perfectior est imago, ad quam restauraris, priore: quippe, dum creatus, non peccare potuisses, redemptus & saluatus, amplius peccare non poteris. *vid. CALOV. Bibl. III. h. l. p. 610. sq.*

THESIS VIII.

Homo, quem talem perpetuo volebat Deus, *a*) De peccato qualem condiderat, tanta Creatoris bonitate abusus, rebusque secundis licentior, nihil non tentare sustinens, fraude dæmonis circumuentus, sed sua sponte sacrilegio calculum adiiciens, Gen. III. 6. in Dei maiestatica iura inuolaturus, legem paradisiacam transgreditur, & prolapsus in PECCATVM, sibi & omnibus posteris, *b*) Ioh III. 6. Gal. III. 22. profundissimam totius naturæ corruptionem, *c*) temporalem

C

lem

lem item ac æternam mortem Gen II. 17. Rom. V. 16. attrahit. A deo, integritati & gloria pristina Rom. III. 23. corpus peccati Rom VI. 6. tristi permutatione successit, ut, qui liber servire Deo nollet, nunc servus, Ioh. VIII. 34. diabolo obsecundare debeat, 2. Tim II. 26. & licet per regenerationis gratiam hac servitute exemptus, inque iustificationum statu permanens, sarcinae quidem peccati non amplius subiugetur, *d*) tamen appensam sibi, gestare semper cogitur, *e*) Ebr. XII. 1. cautione numquam non indigens, ne mors, aculeo priuata, 1. Cor. XV. 55. recuperato per *ἀπιστία* *f*) & contemptum salutis mediorum malitiosum *g*) veneno, tamquam ex antiqua venditione Rom. VII. 14. quaesitum ius, noua captiuatione Rom. VII. 23. aucupata, ei rursus noceat.

a) Excludimus hic Deum ab omni, circa formale peccati, causalitate. Nec enim, qui peccatum odit, Ps. XLV. 8. ulciscitur, Apoc. XXI. 8. ipse pater luminum, omnes tenebras abhorrens, ipse summum bonum, omne malum detestans, aliquid vel efficere, vel velle, vel intendere potest, quod suæ naturæ repugnat. Ponas cum CALIXTO, Epit. Th. p. 133. mitius CALVINO, L. II. instit. C. III. loqui volente, *Deum esse peccati causam per accidens*, certe Deum, vel quæ peccatorem peccare, vel aliud intendere, aliud facere, vel causam per accidens veram causam non esse, affirmandum tibi est. Iubet pietas, cum CHRYSOSTOMO Homil. XXIII. in acta. (p. 239. edit. Amstel.) *satius ducere sexcenties desodi, quam Deum audire talia per nos.* *b*) Quod enim pro se & posteris acceperat, id in sui & posterorum detrimentum perdidit: quippe pro tota progenie

genie sua, in lumbis tunc existente, Ebr. VII. 9. 10. stans. Omnes ergo peccatores reputati *in uno*, vt omnes iusti *in uno* constituerentur. Rom. V. 18. 19. c) En infelices peccati Orig. natales! quod, dum sit *morale posituum*, non tantum absentiam perfectionis inesse debita, sed & pravam subiecti, cui inest, dispositionem inuoluit. Nimirum, non satis erat Imaginem diu. amisisse, natura quoque hominis corruptioni obnoxia facta est, vt recte absentia metus & fiducia Dei, *concupiscentiam* quoque, siue, habitualement ad malum inclinationem, B. Confessores, Aug. C. Art. II. adiunxerint. vid. Io. ERN. GERHARDI, A. C. enucl. p. 54. Negotiosam vero hanc communem labem in homine esse, tot *actualium* peccatorum evincunt species, quæ licet pro ratione subiectorum, cum reatu, non semper, ob tertium aliquod accessorium Rom. VIII. 1. coniuncta sint, a legis tamen rigore Deut. XXVII. 26. Iac. II. 10. 1. Ioh. III. 4. immunes non sunt. d) Soli enim non renati iugum peccati *mortiferi & regnantis* persentiscunt. e) Quippe, a *quotidiana* peccatorum *incurfione* non liber, vt adeo cum iis congregari, Gal. V. 17. viresque in renouatione sibi datas periclitari, eum oporteat. f) Quæ *ἀπιστία* si summa est, excecatio, Esa. VI. 10. si cum *σκληροκαρδία* coniuncta, induratio oritur, Rom. I. 28. Exod. IV. 21. tamquam iudicialis Voluntatis diuinæ Consequentis actus. Vid. ceteroquin FECHTIVS Syll. p. 187. g) Innuimus hic *peccatum in Spiritum S.* de quo vid. Matth. XII. 31. seq. Ebr. VI. 4-6. C. X. 26. 29. Act. VII. 56. 1. Thess. II. 15. seq. 1. Ioh. V. 16. B. SCHERZERVUS, pec. Disp. Lips. 1663.

Ἰπὸ μνησίς πρακτικά.

Qui defluuium alarum, ad Cœlestia te *sebiturarum* passus, ima nunc teris, & Hierocl. in
 tricis peccati ac mortis implicitus, gressum, eo, vnde excideras, prosequi ex te non Carm. Pythag.
 vales, quanto iaceas sub vulnere, tecum recogita. Mox, de te erubescens, non fuga p. 257.
 audiratem dissimula, Gen. III. 10. sed nudus adrepe Christo, vt huius vbertate, penuriam tuam leues. Si tuum erat labi, Dei seruare est. Si transilire lineam Remo
 impune non licuit, quam beatus tu, cui impune nonnumquam licet, non vt aucto-
 ramento impietati esset gratia, sed vt diuina appareret iustitia, tibi partitura, spon-
 sorem

forem tuum, nihil committentem, nisi quod tu commisisti, sublaturum, tanto feue-
rius adstringens. Felicem te, cui mortem pro merito, Genes. II. 17. vita per mortem
parata, ut dum æternum mori debebas, qui æternum vivere nolueris, nunc, deperdi-
tum vitæ ius, in Christo recuperatum, iam videas, Rom. V. 18. iam, si non abnueris,
cum plenaria vitæ æternæ possessione permutare possis. Vtere ergo hoc peccati antido-
to, dum licet, alioquin poenas eum contractæ labis, tum spretæ medelæ certo daturus.

THESIS IX.

*De Libero
Arbitrio.*

*Bernh. de Lib.
Arb. C. IV.
p. m. 263. H.*

Spoliatus ita concreata sibi iustitia ac integrita-
te homo penitus, a) communi contra infectus labe,
qui antea omnes animi vires, liberrime, b) in Dei ob-
sequium erogare poterat, Syr. XV. 14. seq. cuique
datum erat posse peccare, non ut proinde peccaret, sed ut
gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset,
iam omne nefas natura percipere, Gen. VI. 5. gra-
tiæ progressuræ resistere, c) dum exacte potest, hac
immunditie congenita, Job. XIV. 4. nihil d) adeo ex
se facere valet, quod ad mundandum se pertinet,
quantillum licet BONI NATURALIS e) retinuerit,
ut totum potius conuertenti gratiæ in acceptis fer-
re, I. Cor. XV. 10. & si ad vnum cum Spiritu S. ἀποτέ-
λεσμα in renouatione concurrat, nihil sibi, omnia
f) collatis viribus tribuere debeat.

a) Si accuratiorem τρόπον παιδείας sequi velis, vix
quædam supersunt imaginis diu. reliquiæ. Genes. V. 3.
Rom. III. 23. coll. I. Cor. XI. 7. Vid. SEB. SCHMIDII
tract. de imag. Dei p. 436. & Form. Conc. p. 639. b) Di-
citur libertas rectitudinis, ut B. CALOVIUS Theol. posit. p.
271. loquitur, qua poterat obedire; sed eidem inerat mutabili-
ter, quia voluntas libere malum eligere poterat. c) Intelligi-
mus motus gratiæ conuertentis & operantis, non præuenien-
tis; ponitur scil. spiritui operaturo obex, non qua fidei
initia & primordium, sed illius robur & complementum. vid.

B. WERNIS-

B. WERNSDORFF. diff. post. de gratia docente, pag. 26.
 d) Spiritualiter enim mortuo loh. V. 24. sq. aliquam acti-
 uitatem tribuere, iis tantum liceat, qui hominem ante
 conuersionem, vel prorsus sanum, vel saltem ægrotum do-
 cent, adeoque gratiæ præuenientis necessitatem negant.
 Vid. VOSSIVS Hist. Pelag. L. I. C. VII. p. 656. sq. e) Libe-
 rum scil. arbitrium retinuit homo lapsus, quod vero ante
 gratiam, occupatur tantum circa hæmisphærium inferi-
 us: ut adeo ipso PELAGIO, diuinitus scientiam nobis dari, dum
 ad angustias redigeretur, falso, ut AVGVSTINVS refert, de
 Hæresib. C. 88. T. VI. oper. p. 21. deteriores sint, qui co-
 gnitionem mentis Dei, ad sphæram conuersionis exteriorem,
 ut B. SCHERZERVVS Syst. p. 156. loquitur, referunt. V-
 trumque certe Dei donum est, & scire, quod facere debemus, &
 diligere, ut faciamus, quod recte adfertur contra Pelagium
 a Concil. Carthag. III. Can. V. B. IANVS, Theof. Orthod.
 p. 201. sq. monet. f) Adposite hanc in rem AVGVSTINVS,
 totum, inquit, Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam
 & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Conf. HÜL-
 SEMAN. de aux. grat. p. 241.

Vid. Labbei
 Collect. Con-
 cil. T. II. p.
 1539. sub tit.
 Mileuit. II.
 Enchir. C. 32.
 p. m. 115.

Ἐπιμνησὶς practica.

Si iustitia retinenda arbitra libertas non sufficiebat, nisi participatione im-
 mutabilis boni, diuinum adiutorium præberetur, quanto magis gratiæ indigus es,
 quisquis vix circa naturam per omnia liber, circa gratiam vero per omnia seruus,
 sub male libera necessitate, iustitiæ & veræ libertati recuperandæ inhias. Sed, dum
 inuito homine, gratia pulsans domicilium ingredi non solet, tu, qui pulsum Apoc.
 III. 20. prohibere non potes, potes vero accessum, hoc tam salutari auctoramento
 motus, tamquam proposita tibi vita ac morte, illam deligens, Syr. XV. 14. sq. locum
 tantæ hospiti cede: quippe, dum solius gratiæ est, obedire, ut salueris, tuum iam est,
 postquam conuersus es, obedire, ne damneris. Ita, qui, ut velis, sine te operatus est,
 cum bis, & sic bis, si facias, tecum operatur, sua tibi gratia defuturus non est, ubi
 salutem tuam μετὰ φόβου καὶ τρόμου operari iuberis. Phil. II. 12.

August. Enchir.
 C. 106. p. 134.
 Er.
 August. de
 Lib. A. c. 17.

THESIS X.

Quum ita afflictionis plena viderentur omnia, solus Deus cogitauit cogitationes pacis, & quam imperuesti-
 gabili

De Christo.
 Bernhard.
 Serm. I. in an-

mut. B. M.
p. 27. M. edit.
Lagd.

Gelas. Papa,
contra Nestor.
in collect.
Simler. No.
22. f. 84.

gabili interpositione filii, Job. XXXIII. 23. 24. Joh. I. 17. efficacissimaque *Φιλανθρωπία* sua, Joh. III. 16. sollicitatus, *redemptionem*, ex pacto Ps. II. 8. Ose. XIII. 24. decreuerat, iacto illico salutis recuperandæ fundamento, Gen. III. 15. iusto tempore, Gal. IV. 4. euenire patiebatur. CHRISTVS igitur, Filius Dei, mediatorem inter Deum & hominem acturus, I. Tim. II. 5. & insolubilem damnationem, sine verbo incarnato mansuram, sublaturus, postquam inter umbras, Col. II. 17. fructu tamen ex corpore, olim de promendo non destitutas, Act. XV. II. diu expectaretur, naturam humanam in *ὑπόστασιν* suam assumit, a) I. Tim. III. 16. eamque velut sub umbraculo quodam sibi desponsat, Luc. I. 35 æterno, & singulari adeo vniendam vinculo, vt *quidquid Deitatis est, habeat reuera sibi communicatum filius hominis, & quidquid humanitatis est, tamquam sibi proprium Dominus maiestatis possideat*: b) Tunc, nefandum sacrilegium Gen. III. 5. expiaturus, cum in forma Dei, qua homo, per vnionis gratiam existeret, Phil. II. 6. schema conditionis humanæ pauperioris, profunda *exinanitione* c) induit, Phil. II. 7. & conceptus de Spiritu S. Luc. I. 35 nascitur ex Maria, intacta virgine, Luc. II. 7. I. 34. hominem se per omnia induisse, Ebr. II. 14. non tamen ex se peccatorem 2. Cor. V. 21. testatus, tergeminaque vnctione, Esa. LXI. I Dan. IX. 24. Ps. II. 6. Messiaë nomen gerens, patefacit voluntatem Patris, d) Ioh. I. 18. IV. 25. Ebr. I. 2. omnem iustitiam legis

legis implet, e) Matth. III. 15. & sacerdos, nullius pro se sacrificii indigus, Ebr. VII. 26. sq. ipse fit sacrificium, Eph. V. 2. ac dirissima quæque prius perpeffus, moritur, Rom. V. 10. f) calcaneum sibi conteri permittens, Gen. III. 15. sed illico capite colubri contrito, destructisque diaboli operibus, 1. Ioh. III. 8. vitam sibi reddit, 1. Pet. III. 18. & territis victor inferis, g) 1. Pet. III. 19. tamquam soluto ex asse pretio sponsor, Ps. LXIX. 5. Col. II. 15. refurgit, ascendit, in plenam exaltationis gloriam, sibi, per vnionis gratiam, non ex merito propriam, b) sedet ad dextram Patris, throno Maiestatis & virtutis, Ebr. I. 3. viuit, nec, præstito semel sacrificio, Ebr. VII. 27. numquam tamen sacerdos esse desinens, i) amplius moritur, denique regnat, k) Luc. I. 33.

a) Quippe, vt verus esset Deus, verusque homo, vnus nihilominus Iesus Christus, Rom. V. 11. 12. 15. 2. Cor. V. 14. vnus mediator, 1. Tim. II. 5. numquam, vt ἄλλος καὶ ἄλλος coli se permittens, vnionis personalis mysterio opus erat, qua humanitati ἀνυποστάτω, diuina communicaretur ὑπόστασις: qua vnionē, λόγος non potuit non humanam Naturam, ita permeare, vt posita vna natura, (saluis licet essentiis & proprietatibus) & alteram poni necesse sit: quippe, extra λόγον carnem, & extra carnem λόγον frustra, ac nisi arctissimæ vnionis vinculum disrupturus, quæsiueris.

b) Vel enim Christus, iam, heri & hodie, i. e. ab æterno esse Ebr. XIII. 8. iam passus in carne 2. Pet. IV. 1. dicitur, vicissim, iam filius Mariæ ab æterno genitus, iam auctor vitæ interfectus Actor. III. 15. exhibetur, vel humanæ naturæ, tamquam totius Deitatis domicilio, Col. II. 9. potestas, quam diuina natura ab æterno habuit, in tempore com-

muni-

municata, docetur, Matth. XXVIII. 18. *vel* denique Deus suo sanguine Ecclesiam redemisse adferitur, Act. XX. 28. quibus omnibus *tria* nostratum *Communicationis* Idiom. *genera*, absoluuntur. vid. aureum B. MART. CHEMNITHI librum de duab. Nat. in Christ. c) Exinanitionem, non in κενύσει, sed κενώσει, non quidem possessionis, sed plenarii vsus Maiestatis communicatæ, constituisse, ex Phil. II. 7. arguimus: alioqui, *vel vere* exinanitum Christum non fuisse, *vel non verum* humilitatis exemplum in Christo propofuisse Apostolum statuas. Demittens vero se Sospitator vsque ad mortem crucis, *iræ* quoquæ diuinæ *sensum*, & infernales, quibus nos exponendi eramus, cruciatus, vt in tota passione, ita in primis sub tristi *develictio- ne*, experiri debuit: sicuti vero nullibi cessauit esse θεός, ita nullibi inferorum vi succubuit, vt qui *desperan- tem* prope sibi fingunt, *vel in meritum* sufficientissimum, *vel in ipsum vnionis* personalis vinculum sint iniurii. vid. DORSCHÆVS Theol. Zachar. p. 170. & 175. sq. d) Vt Pro- pheta, publice inauguratus Matth. III. 17. gratiam, & ve- ritatem Euangelii plene reuelans, Ioh. I. 17. non nouus legislator, quippe legis ipse complementum, Rom. X. 4. tantum interpres veteris & vindex, Matth. V. 21. sq. nec primus promissionum euangelicarum, aut vitæ æternæ præco, cuius quidem cognitio, si non in hypothesi, certe in thesi sub Vet. Test. obtinuit. vid. CALOV. Socin. profl. p. 297. De Consiliis Euangelicis, vt vocant, vid. CHE- MNIT. Loc. T. II. p. 102. e) En satisfactionem Christi *actiuam*, quæ a functione sacerdotali hoc minus abesse pot- erat, quo magis *legi postulanti* erat satisfaciendum. vid. SEB. SCHMID. Disp. VII. in Form. Conc. p. 185. Neque tamen Christus legi *pro se*, sed *pro nobis* tantum, siue obli- gatus siue subiectus erat, quippe Dominus legis, Matth. XII. 8. nec *pro se* creatura, quin, nobis natus & datus Luc. II. 11. Conf. KROMAI. Comment. in Gal. C. IV. p. 277. f) En

f) En satisfactionem *passivam*, a lege *condemnatæ*, Gal. III. 13. requisitam, qua in primis emicuit noui fœderis sacerdos, Ebr. III. 1. Hic scilicet calix Christo subeundus, Ebr. II. 9. pretiumque æquipollens soluendum erat: vt adeo nobis quidem per singularem ἐπιείκειαν, non sponsori nostro, per quandam *acceptilationem*, se inter misericordem Patrem & iustum legislatorem partitus, Deus, pepercerit. Rom. VIII. 32. g) Descensum θεανθρώπου, a metapho-rico Ps. LXXXVIII. 4. sq. distinctum, simpliciter κατὰ τὸ ἔητόν, cum B. LUTHERO, Conc. an. 1533. habita, T. VI. Ien. p. 80. Form. Conc. p. 788. GEIERO, in Psal. XVI. 10. p. 214. CALOVIO, Apodix. p. 246. & aliis, voce significantissima τῆς πορεύθεντος ducti, interpretamur, ne Apostoli censura, 2. Tim. II. 17. 18. metaphoras æque captantibus, subeunda nobis sit. Vid. THEOPHYLACT. Comment. in Ephes. IV. 9. & CYRILL. Catech. IV. & XIV. De lite, nuper seri capta, conf. pecul. tract. Ven. auctoris, sub SCHNITLINGIO latentis. Accurate hic, celeb. Vratislauiensium Theologus, IOH. FRID. BURG, S. S. Th. Bacc. Præceptor quondam, in primis venerandus, qua pollet iudicii vi, pronuntiat, dum, prælect. Theol. de Christo Th. XII. Obs. I. hoc certe ex Gen. III. 15. Luc. XI. 22. Ioh. XIV. 31. aliisque locis, indubium est, inquit, *passionem Domini, non fuisse tantum actionem sacerdotalem, in Patre placando, sed & bellicam, in diabolo superando occupatam, vt proinde, si descensus Christi ad inferos ita concipiatur, quod triumphum in passione reportatum Seruator resuscitatus, plena Maiestatis præsentia, primo statim, potestati infernali in sede ipsius monstrauerit, non video, quid hic quisquam ex ratione vel scriptura possit opponere.* h) Male VITSIVS, Oecon. fœd. Lib. II. C. III. §. 29. p. 154. sq. præmium filio promissum, summam gloriam statuit: nam ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνομα, Phil. II. 9. nec h. l. διὸ causalitatis est, sed ordi-

D nis.

nis. Conf. Act. XX. 26. i) Interpellat enim pro nobis, intercessione, non *meritoria*, sed *applicatoria*, non iam per modum *seruilis conditionis*, sed *gloriosæ postulationis*. vid. CALOV. Bibl. ill. ad Ebr. VII. 25. fol. 1259. sq. k) De regno in primis *gratiæ*, docemus, quod numquam illud in his terris *tantum spirituale*, & *militans* esse desinat: Ioh. XVIII. 36. licet enim virtus & regnum Dei, & potestas Christi, facta sint, Apoc. XII. 10. abit nihilominus draco, prælium cum femine mulieris commissurus. Apoc. XII. 17.

Ἐπιβουλήs practica.

Quis tu, pro quo descendit in terras Deus, vt, quamlibet a DEO per peccatum sequestratus, Esa. LIX. 2. scandas per Christum ad superos homo? Gen. XXVIII. 12. Potesne, quæso, qui præ Angelis, Ebr. II. 16. adeo amatus es, Ioh. III. 16. vt tibi pariturus degeneri Pater, dilecto suo non pepercerit, Rom. VIII. 32. tantam salutem, sine sancta animi commotione despiciere, *saltem non admirari, non urgere, non dilatare tantæ rei amplitudinem?* Piaculum tibi sit, conculcasse Christum, Ebr. X. 19. & eius profundissimam demissionem, elevationem tui paricuram, turpissimo rursus in abyssum saltu, rependisse. Tantæ molis erat redimi te, vt serueris, at, quam facile redemptus iam seruaberis, si credas. Vt vero credas, vno opus est, nosse Christum, 1. Cor. II. 2. & ita nosse, vt huic induas, Gal. III. 27. in hoc inueniaris, Phil. III. 9. in eo iustificeris, 2. Cor. V. 21. tuum tibi cum fiducia facias, eundem *in te habiturus*, Col. I. 27. quem *pro te* passum credis.

Luther. Comment. in genes. C. 33. fol. 175.

THESIS XI.

Ita nimirum consummandus erat princeps & auctor salutis nostræ, Ebr. II. 10. quo vere nobis fieret redemptio, 1. Cor. I. 30. & reconciliatio: 1. Ioh. II. 2. vt adeo Pater, hominem, propter filium suum, eiusque meritum catholicum, a) Ebr. II. 9. 2. Cor. V. 15. 1. Tim. II. 5. 6. iam redamet, in gratiam recipiat, & promittat ei, in ordine, b) cum solius acceptationis oblatae in Christo salutis, tum finalis perseuerantiæ in fide, Apoc. II. 10 hæreditatem vitæ æternæ. Sed cum propriis rationis suæ viribus in Iesum Christum credere, ad eumque accedere nequeat, 1. Cor. XII. 3. adest

De Gratia Sp. S. applicatrice. spec. De Vocatione.

adest Spiritus S. qui bona illa, benignissima Dei voluntate destinata, & fraterna I. C. redemptione acquisita, offert & applicat, dum hominem quidem, præmissa naturæ pædagogia, c) Act. XVII. 27. iam VOCAT, d) Rom. IX. 24. iam ex statu peccati REVOCAT, Eph. V. 14. vtrumque, per verbum Evangelii, Matth. XI. 28. 2. Thess. II. 14 ea seria intentione, Ezech. XXXIII. II Luc. XIV. 21. vt, cum iam parata sint omnia, accedat, mediisque salutis, in comunione Ecclesiæ, sedulo vtatur.

a) Conf. Esa. LIII. 6. Ioh. III. 16. 17. Rom. VIII. 32. XIV. 15. 1. Cor. VIII. 11. 2. Pet. II. 1. Ebr. X. 29. 1. Ioh. II. 2. Patres X. priorum seculorum, pro *Vniuersalitate* allegat VOSSIVS Histor. Pelag. L. VII. p. 656. sq. Merito igitur verba Synodi Dordracenæ C. II. Art. VIII. p. 258. *voluisse Deum, & eos omnes & solos, qui ab æterno ad salutem electi sunt, efficaciter, redimere, auersamur.* b) Abstinemus de industria a voce *conditionis*, postquam de conditionibus fœderis gratiæ, tantum prope legaliter nostro tempore passim doctum fuerit. vid. HÜLSEMAN. de aux. grat. p. 49. sq. vbi de fide, quam Remonstrantes *conditionem noui pæcti appellant, & per actionem, quam Deus, pro omni legis iustitia ducere, ac in solutionem accipere transegerit, definiunt, loquitur.* Stricto scilicet iure, *conditio* ea est, dum quis dat, vt sibi rursus detur, inuoluitque adeo, rei, non tantum *acceptationem*, sed & ἀντάλλαγμα, seu *retributionem*. vid. SCHOMERI Coll. recent. Contr. p. 142. At fides, vt Dei tantum donum est, Ioh. VI. 29. ita oblatam in Christo salutem non nisi *recipit*. Ioh. I. 12. Eleganter HERM. VITSIUS Oecon. Fœd. L. III. C. I. §. 20. p. 258. *quum fides sit ad stipulatio diuinæ veritati facta, includit in sese acceptationem*

boni, fœdere oblati. - - - *En Filium meum, inquit Deus, & salutem in eo. Quis desiderat illum? ego, acclamat fidelis. Sit ita, ait Dominus.* (c) *Præambulam* vocationis, quæ fit per Euangelium vocat DANHAVERVS, apud FECHT. Syll. p. 320. *Præcedunt nempe gratiam naturæ instinctus, hominem de turpitudine errorum factorumque suorum admonentes, eumque, ut de veriori colendi Deum ratione sollicitus sit, interius sollicitantes, ut loquitur FECHT. tract. de ord. modoque grat. Aph. VI. dumque paret instinctui homo, & varias Dei colendi vias, secum inuicem componit, casu in eam delabitur, quæ ad verum Dei cultum ducit: tunc, nihil huiusmodi cogitantem, gratia vocans citare gressum iubet, eumque fidissima comes, ad communionem Ecclesiæ, si tractui obsequi velit, perducit. vid. HÜLSEMAN. de aux. grat. p. 85. sq. & 107. sq. FECHT. l. c. Aph. VI. sq. d) Vocationem intelligimus directam, supernaturalem, ordinariam, vniuersalem, Esa. XLIX. 6. Act. XVII. 30. Matth. XXII. 4. sq. Rom. X. 18. 2. Pet. III. 9. (non reuelatio enim, qua hodie gentes laborant, non est omnimoda & perpetua, sed iterandæ tantum prædicationis, & continuandæ pluuiæ spiritualis, Esa. V. 5. ex iustitia punitiua, Matth. XXV. 28. negatio. vid. HÜLSEM. l. c. p. 149.) sufficientem, (non, qua reprobos Deus saluare possit si velit, sed quod sufficientia media propinet, ut saluentur omnes) immo, ex intentione diuina semper efficacem, h. e. nisi ordo, quem gratia amat, impediat, actu effectum salutarem conferentem, non tamen a prædestinatione limitatam, ideo fortasse, quod vocentur plerique κατά πρόθεσιν, Rom. VIII. 28. XI. 28. τεταχμένοι enim εἰς ζωὴν αἰώνιον, Act. XIII. 48. qui ordini diuino ad vitam æternam se pares semper sistunt, non possunt salutari vocationis effectu excidere.*

Ἐπάμνησις practica.

Cypr. Ep. 59. ad
Fid. L. III.

Cum tam acerbo humana natura vulnere sauciata sit, et ad cognitionem Dei, neminem contemplatio spontanea plene possit erudire, quanto tu felicior es, cui non iam

iām

iam scire utiliter querere, quod inutiliter ignorare poterat, sed salutariter inuenisse Aug. de Lib. Arb. C. 19. p. m. 481.
 contigit. Age igitur, & in communione Euangelii, ad quam præter meritum admissus es, eum te præbe, quem vocatio tua exigit. Eph. IV. 1. Pater instructa semper cœna, Matth. XXII. 4. Mitte præposteras seculi curas: curare salutem tanto facilius est, quanto anima præstat corpori. Vtere serius donis, quia serius est, qui te iis uti iubet. Denique, ea vitæ tuæ sit statio, quæ cum vocatione primaria iucunde conspiret: nec enim satis est, quomodocunque vixeris, sed, si in Domino vivas, id demum est, quod tibi boni, in regno Dei cuius laudem pepererit.

THESIS XII.

Admissum ita in familiam Dei, per institutionem, ex verbo legis, Psal. CXIX. 104. & Euangelii Rom. I. 17. 2. Cor. IV. 3. sq. factam, ILLUMINAT, (*) vt a tenebris congenitæ ignorantia carnalis, Rom. VIII. 6. ad lucem pertingens, 2. Cor. IV. 6. adeoque supernaturali intelligentia ac sapientia spirituali imbutus, morbum suum agnoscat, Rom. III. 20. & hac sibi veluti face prælata, ad quærendum amplius Christum, salutariter vtatur. De Illuminatione.

(*) *Illuminatio* vti admittit maius & minus, ita vel est 1) *gratiæ præuenientis*, & *mere offerentis*, siue, diuitias, in verbo Dei reconditas recludentis, & ad fruitionem harum admittentis, Ioh. I. 9. vel 2) *gratiæ docentis*, qua, tenebris intellectus semotis, Esa. IX. 2. homo, media salutis admittens, licet non illico applicans, de voluntate Dei, quantum ad salutem sufficit, instruitur; *gratiam æconomicam generalem* vocat Ven. LOESCHERVS, Prænot. p. 345. potissimum, si de veritatis diuinæ deposito, Ecclesiæ credito, sermo sit. vel 3) *gratiæ regenerantis*, quæ effectum salutarem per medium confert. Atque hic, concessis homini credendi viribus, voluntas in Christum ferri incipit, deque *illuminatione effectus* multum participat: informati vero sic ex verbo, & ex eodem quoque regenerati, vocantur emphatice *φωτισθέντες*, Ebr. VI. 4. vel denique

4) *gratia*, utramque lucem, mediæ & effectus *augmentis*; vocatur alias *gratia ungens* 1. Ioh. II. 17. vid. Ven. LOESCHER. Stromat. de illum. §. VI. p. 47. seq. Licet ergo Theologus orthodoxus, extra regenerationis statum positus, non tamen propterea per omnia ψυχικός, (hic enim ne quidem distinctam notitiam subiecti & prædicati, eorumque κρίσις in propositionibus reuelatæ veritatis *naturali facultate* cognoscere potest, ut loquitur HÜLSEM. Prælect. in Form. Conc. p. 39.) lux necdum sit in Domino, Ioh. XII. 36. quia tamen in *statu præparationis* versatur, lucem *mediæ* omnino habet, nisi *ικανότητα Θεῶν, ὅς ικανώσεν διακόνους καινῆς διαθήκης*, ex te derives, contra 2. Cor. III. 5. 6. aut προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, Rom. XII. 6. ex choro charismatum eliminare velis. Certe, aut prius ex verbo *docearis*, quomodo credas, Rom. X. 17. aut experientiam quandam intra te tamquam *internum unctiois principium* statuas, ad cuius normam voluntas prius formata, intellectui leges cognoscendi præscribere debeat. Si posterius vis, fanaticus es, si prius respicis, Pelagianus es. Ceterum, cum Scriptura de illuminatione emphatica potissimum loquatur, satius est, illuminationem *primam*, cum connotato, *illuminationem mediæ* vocare. Ubique vero τὸ ἀναγιώσκεν ἢ τὸ γινώσκεν, sive, pædagogicas hominis actiones, a gratiæ illuminantis pædagogia probe discernere opus est, ne notitiam grammaticam, cum litterali sensu, qui vsq; Christi est, 1. Cor. II. 16. turpiter confundas. vid. Schüblers fester Grund der Euangel. Wahrheit, p. 88. sq. Quantum ad διακονίαν Ecclesiæ Ministri non pii, *imperfectam* quidem pronuntiat Ven. LOESCHERVS, l. c. §. 25. p. 64. sed defectus, qui adsunt, omnes, ad *pædagogiam ministerii*, non ad *summam rei*, refert.

Ἑπόμνησις *præctica*.

Lactant. de
Ira Dei C. 1.

Qui nihil de tuo possides, nisi *mentem tenebroso corporis domicilio circumseptam*, iam gratiæ magisterio traditus, quænam sit spes salutis tuæ, edoceris, Tit. II. 12. 13. ne lux, quæ tibi noviter affulsit, tenebræ sint, Luc. XI. 35. dispice. Lucem te

offe

esse vult in Domino, Ephes. V. 8. qui lucem verbi tibi impertitus est: gratia quidem amplius progressura, sua statione rite fungitur, ni tu eam stare iubeas. O quantum est, spiritum sapientiae, ideo datum, vt scias, quae sit virtus Dei in te, spreuisse! Eph. I. 17. 18. triste est, ab agnita iustitiae via deflectere, 2. Pet. II. 21. triste, docendo alios, se negligere, Rom. II. 21. quid, nisi plagas sperare queas, Luc. XII. 47. cui recessus salutaris doctrinae adire contigit, neque tamen omni hic nuntium mittis profanitati. *Turpe est & impium, linguam Christo, animam dedisse diabolo, pulchrum contra, vtrumque, pari libra, Deo, huiusque officii impendisse.*

Bernh. Serm.
24. in Cant.
p. m. 140. F.

THESIS XIII.

Sed voluntatem quoque depravatam, a spirituali morte resuscitaturus, quem, quis esset, secum reputare haecenus edocuit, a) amplius quoque CONVERTIT, b) Ier. XXXI. 18. Ezech. XI. 19. vires c) poenitendi conferendo, vt retractus a peccato, ex lege agnito, Rom. III. 20. serioque dolore compunctus, Act. II. 37. Pl. LI. 19. ad vnicum pro peccatis suis λύτρον, Christi satisfactionem, vera fide apprehendendam, gratuitamque remissionem peccatorum impetrandam, impellatur. d)

De Con-
uersione.
Form. Conc.
p. 680.

a) Adulorum ergo proprie est conuersio, vt infantum regeneratio. hi enim, cum actu mentis reflexo carent, poenitere non nisi ἀναλογικῶς possunt. vid. DANHAVER. Hodof. p. 169. b) Maiores quidem nostri, non minus scripturae, quam Librorum Symb. ductum sequuti, *conuersionis* nomine, vel totam hominis restorationem, Luc. XV. 10. Act. IX. 35. Form. C. p. 675. vel fractionem cordis lapidei per legem, & donationem carnei per Euangelium, Ezech. XI. 19. Act. III. 19. F. Conc. p. 679. intelligebant. vid. CHEMNIT. P. II. Exam. C. T. pag. 132. quo quidem sensu conuersus & renatus ἰσοδυναμῶντα ipsis erant. Recentiores Theologi τρόπον παιδείας, temporis nostro, maxime circa gratiam ad confusionem procliu, accommodatiorem sequentes, conuersionem
praeci-

præciso sensu accipiunt, pro cordis per legem contritione, Ioel. II. 12. 13. nihil prohibere rati, diuitias gratiæ sigillatim ponderasse. Conf. Form. Conc. p. 662. c) Passive nimirum, & mere obedientialiter hic se habet homo, omnique adeo potentia actiua ad sui conuersionem destitutus, Ioh. XV. 5. dum per naturam resistere potest, hic, neque id, quod non resistit, de suo habet, sed ex gratia. vid. FECHTIVS de Ord. M. gratiæ Aph. 20. & Syll. p. 335. Recte hanc in rem BERNHARDVS, de grat. & Lib. A. p. m. 265. F. a Deo, inquit, salutis nostræ fit exordium, nec per nos, nec nobiscum; & Form. Conc. voluntatem hominis in negotio conuersionis non otiosam esse, tamquam formæ sanorum verborum minus ἀνάλογον reiicit, pag. 680. Occupatur vero in conuersione gratia præparans, dum ante omnia, ab homine, lapide, ob repugnantiam deteriore, non quidem habitualementem penitentiam Rom. VIII. 6. quam innocuam duntaxat ex accidenti reddit, sed actualem, Actor. VII. 51. malitiosam in primis, remouet, tunc, stimulis gratiæ agitatam, vt obsequatur, impellit, ubique tamen saluo creaturæ rationalis respectu: enim uero, primis gratiæ motibus, (vt ut, quatenus nostram deliberationem anteuertunt, vt in nostra potestate non sit impedire, ne oriantur, sint inuicibiles) resistere potest homo, eosque, ne radices agant, impedire, vel prorsus suffocare. Tantum vero abest, vt vires nostræ, gratiæ auxiliis suscitentur, vt potius τὸ πένιτερε, quoque viribus supernaturalibus, cum HÜLSEM. prælect. in F. C. p. 502. tribuamus. Ortum scilicet illud doctrinæ genus ex πρῶτω ψεύδει, auxilii vocabulum, causam sociam ad producendum ἀποτέλεσμα denotare: cum & in humanis, qui lapsus est, alterius auxilio, licet nihil contribuat ipse, erigi dicatur. Nobis, si ἀκρίβειαν sectemur, sola cooperans gratia, auxilii nomine venit. d) Quidam desperationem, vt vocant, salutarem, inter contritionem & fidem collocant.

cant. Cum vero notiones istiusmodi, externum verborum schema, ab iis, qui extra nos sunt, mutuatum præferant, adeoque exitiosæ magis sint, quam cum acumine inuentæ, tutius fuerit, eam animi æstuantis anxietatem, qua pœnitens, nihil in suis meritis, Ps. CXXX. 3. Phil. III. 9. aut viribus, 2. Cor. III. 4. Ioh. XV. 5. quod sanctum iustumque Numen placare queat, deprehendere se *horret*, ad *contritionem*, ubi secum habitare didicit, referre. Cur enim charismata diuellas, quæ mutuo arctissime se excipiunt. Marc. I. 15. Act. II. 38. vid. VITSIVS, Sched. Th. Pr. p. 148. sqq.

Ἐπιόμνησις practica.

Quid cessas, peccator, in pectus demittere, quod *docens* mentem tuam latere *gratia* noluit. Quod quæso, luci cum tenebris commercium? 2. Cor. VI. 14. & tamen *opacam* adhuc circumfers animam, nec ad plenissimam lucis vsuram admissam cupis. Patere iam fulgur Sinaïticum in cor tuum illabi, ut fracto, quod geris, pectore, plus quam adamantino, Zach. VII. 12. inter sanctam trepidationem, ad consilium de salute capiendum, Act. XVI. 30. inducaris. *Durum non sit, sentire vermem conscientia, mordentem, dum adhuc potest suffocari, ut desinat æternum mordere.* Si *Bernh. de Convers. p. m. 103. H.* exitialis est morbus, quem dissimulas, quæ quæso sanitatis tuæ restitutio speranda, si amissam negas. Sic tuos, quos pateris, fallus manes, & totidem vibicibus, quot tu in legem impegisti modis, in conscientia confectus, hoc minus vel de te spera, vel de Deo despera, quo magis, iam tu non sufficis tibi, iam te vulneratum, vino prius perfundi decuit, ut oleum, quod tibi *regenerans gratia* propinat, Luc. X. 34. eo syauius persentiscas.

THESIS XIV.

Cum vero vetus creatura regno Cœlorum *De Rege-* clusa sit, Ioh. III. 5. gratia vero operans, fundamento *neratione.* salutis sensim fiat vicinior, a) Spiritus Domini, hominem, hætenus filium iræ, Eph. II. 3. per Baptismum Tit. III. 5 & Euangelium, b) 1 Pet. I. 23. REGENERAT, c) conferendo ei fidem, 1 Ioh. V. 1 ut excitatus a morte, spiritualiter reuiuiscat, Col. II. 13. Christum induat Gal. III. 27. & profligata per *pœnitentiam* d) veteri indole, tamquam nouiter ex Deo natus, Iac. I. 18. ius *ὑιοθεσίας* Ioh. I. 12. indipiscatur.

E

a) Sin-

a) Singularem accuratorem Ven. LOESCHERVS, Stromat. de Regen. p. 97. regenerationem vocat actionem Dei *τακτικὴν*, h. e. *ordinis*, quo gratia circa hominem iustificandum utitur, *partem*, immo *centrum*, quod *fundamento* applicando, iustificationi puta, sit proximum, arctiusque, aliis *adjuvantibus gratiae* actibus, cum illo sit copulatum: quippe, ut saluari non iustificatus, ita iustificari non regeneratus frustra volueris. b) Euangelium scilicet. uti concilio tantum gratiae est, Act. XX. 24. I. Ioh. V. 11. & non nisi restorationem hominis lapsi pro scopo habet, ita hoc loco Christum, hactenus cognitum, propinat, hominemque, in huius amplexus iam iam ruiturum, viribus credendi instruit. c) Regeneratio, vel sumitur sensu *catechetico* & ordinario, pro baptismi lauacro, Tit. III. 5. & tunc infantibus & catechumenis propria est, vel *acromatico*, eoque singulari, denotatque actionem gratiae operantis *ordinalem*, inter conversionem strictissime sumtam & iustificationem, mediam, qua homo adultus, naufragium fidei passus, in foedus iterum gratiae, quod a parte Dei stabile semper est, Ose. II. 19. 20. Rom. XI. 29. recipitur, & medio amplectendi Christum, quo perfidus exciderat, iterum donatur, Gal. IV. 19. Atque hanc gratiam, tanto distinctius tradi necesse est, quanto non exilis eorum est auctoritas, qui vel totam charismatum oeconomiam, vel statum fidei tantum, regenerationis nomine insigniunt. LUTHERVS ipse regenerationem saepe pro sanctificatione usurpasse dicitur, Form. Conc. p. 686. quem sequitur CHEMNITIVS Harm. Euang. C. 28. p. 351. B. ARNDIVS, L. I. de vero Christ. passim, & alii. Sed, uti nihil ab his cum iniuria *gratiae solius operantis* commissum est, ita qui hodie regenerationem, in quotidiana emendatione, aut restoratione legis, vel etiam instauratione imaginis divinae inhaesiva consistere, saltem renovationem, regenerationis continuationem esse, etiam in ipso certaminis statu,

statu, propugnant, nã, *practicum* aliquem Christianismum
introducere gestiunt, antequam fuerit *verus*, inque actio-
nibus *gratiæ mere operantis*, vires hominis, quamvis super-
naturales, quærentes, fidem, Christum amplectentem,
numquam *solum cum solo* esse permittunt. vid. Ven. LOE-
SCHER. l. c. p. 80. sq. Conf. B. LUTHER. Comm. ad Gal. f. 89.
Nugas Fanaticorum, productionem corporis mystici,
natiuitatem Christi intra nos, & id genus alia, in ἀπαθείωσιν
desinentia, in regenerationem inferentium, non mora-
mur. vid. B. NEVMANN. diss. de regenerat. d) *Pœni-
tentiam* huc referre placuit, tamquam gratiæ conuertenti-
tis & regenerantis ἀποτέλεσμα, aut, si mauis, effectum.
Ibi scil. contritus, hic, fide donatus homo, & iam iam iudi-
ci sistendus, ad remissionem peccatorum consequendam
præparatur. Auerſamur eos, qui Euangelii, quod profi-
tentur, prope obliti, fidem, e pœnitentiæ ὀλιμῶς sumptæ, cir-
culo eliminant. vid. Unsch. Nachr. a. 1720. p. 990.

Ἐπόμνησις practica.

Tu, qui spiritu & aqua, Deo & Ecclesiæ initiatus, Ioh III. 5. in gratiam rece-
ptus es, semper durante, licet tu durare nolis, iam naufragus, & fluctibus iræ diui-
næ circumdatus, Ps. XLII. 8. præsentissimum tibi imminere vides periculum, rape
præsidium, quod tibi *gratia regenerans*, baptismalis fœderis memor, subministrat.
Si fidei iacturam fecisti, felix es, qui eadem reparatam fide cernis. Quid iam serua-
tum te deceat magis, quam properare, vbi tuto requiescas. En Christum salutis tuæ
portum, & iam causam tui, quomodo ex impio fias iustus, meditantem! Si iure
attico regeneratio erat, *seruum manumissum, in plenam ingenuitatem & statum li-
bertatis naturalem restitui*, quanto maior hic tibi obtigit libertas, qui noua in
Christo factus creatura, Eph. II. 10. 15. veterem, quæ te tenuit, indolem, subactam
revidet. Cita igitur eo gressum, vbi pronuntieris quoque liber, & vbi fides tua, re-
cens nata, iam in Christum defixa, adolescat. Benedictus es, quem amplior gratia
exspectat: *postquam de lauacro noui natalis ascendisti, pete de Patre, de Domino,
gratias, distributiones charismatum subiiciente, & accipies.*

vid. Io. Mars-
ham. Can.
Chron. p. m.
200.

Tertull. de
Bapt. C. 20.
p. 393.

THESIS XV.

Sed, dum noua creatura, Iac. I. 18. credens scili-
cet, impia nihilominus adhuc sit, hoc est, necdum
pronuntiata iusta, Rom. IV. 5. & hætenus sub peccati
reatu degens, ad possessionem υιοθεσίας necdum

De Iustifi-
catione.

peruenerit, amplius hominem IUSTIFICAT, a) gratis nempe, Rom. XI. 6. ac ob solam vitæ mortisque obedientiam Christi, Gal. IV. 4. 5. sola fide, b) Rom. III. 28 Eph. II. 8. 9 Gal. II. 16. apprehensam, 2. Par. XXX. 8. coram tribunali Dei a peccatis eum absoluen- do, iustumque reputando, 2. Cor. V. 21. vt iam salutis vestimentum gerens, Zach III. 4. filiusque Dei in foro diuino publice pronuntiatus, ad vsum bonorum spiritualium omnium, plenissimo iure admittatur.

a) Arduum hoc doctrinæ Lutherano-Euangelicæ momentum, quoue nutante, Ecclesia, ipsaque salus nutat, (vid. B. LUTHERI Comm. in Gen. C. 21.) pupilla quauis curatius iam olim maiores nostri custodiuerunt, dum subductam pristinis pomceriis veritatis lucem Apoc. XVIII. 23. etiam hac in re, contra adiaphoristas interimisticos, Maioristas, Calixtinos & quosuis Fanaticos sollicitè protegerent. Idem studium nostra exigit ætas, vt, quo subtiliores sunt, (crassum enim Democritum taceo, vid. FECHT. Syll. p. 354. sq.) qui vel in luce Euangelii tenebras rursus aucupantur, vel nescio quo paralogismo fascinati, in se prius aliquid inuenire volunt, quo instructi ad Deum accedant, hoc vigilantius pro acropoli nostra excubare, eam, dum opus est, nouis munitionibus sepire, & nec atomum quidem, pupillam læsuram, pati, necesse sit. Nimirum, omnem operum rationem, cum anti-Maioristis, Act. Coll. Altenburg. pag. 131. exclusuri, fidem, numquam ita *solitariam* esse, quin eam opera immediate semper sequi necessum sit, *solam* tamen, immo *solitariam*, vt intellectu nostro, commodissime vero diuino, insensibilem etiam temporis *ἄτομον* obseruante, (vti id præclare docet Ven. ZEIBICHIVS, Præceptor, omni pietate suspiciendus, Coll. Prophyl. de grat. appl. qu. 7.) concipitur, iustifi-

iustificare docemus. vid. Caroli Ioach. SIBETHI, Vindiciae dicti Paul. Rom. V. 19. contra M. LVD. GERHARDVM p. 170. sq. Grauius B. CALOVIVS, Socin. profl. p. 780. *Abraham, inquit, in exemplum iustificationis sistitur, eiusque fides, ita ut opera penitus remoueantur, nec in fide ipsius, qua iustificatus est, comprehendantur: quodsi ergo fides, per quam Abraham iustificatus est, sine complexu operum consequentium intelligitur, sane fides, qua nos iustificamur, intelligenda quoque erit sine operum comprehensione & complexu, quæ ex fiducia fluunt, cum Abraham Pater sit credendorum & exemplar iustificandorum. Conf. SCHELGVIG. Synops. Art. XXII. Q. II. p. 207. sq. Sed & omne practicum a fide iustifica remouemus, tamquam iustificatione posterius. Quæ enim fidei tribuuntur actiones, ratione formæ genericæ tantum spectandæ sunt, & magis passiones dici debent, vid. DANHAVERI Hodof. p. 1340. qui spec. p. 1301. & 1305. fidem diuidit in actiuam, quam vocat opus legis, ex Matth. XXIII. 23. & passiuam ac receptiuam, quæ sit ipsa fides saluifica & saluticapa. vid. B. IANI Respons. p. 63. it. Ven. LÖESCHER. Tim. Ver. C. V. p. 350. sq. Sed nec dissimulandum est, omne punctum in momento iustificationis circa solam ἐπιτελέθειαν fidei versari: quippe, adeo hic actus solius est Euangelii, ut remotissimum etiam legis respectum excludat prorsus, superciliosumque sit quærere, an vestimentum iustitiæ Christi, præter id beneficii, quod nudum in conspectu maiestatis diuinæ operiat, etiam ita aptatum sit, ut eo induti, (quippe iustitia Christi manet forma iusti, ut loquitur Ven. PRÆSES, Gamaliel, æterno pietatis cultu deuenerandus, Metaph. diu. pag. 739.) commode in renouatione progredi queamus. Conf. B. SCHELGVIG. Vindic. Art. de Iustif. p. 180. b) Testimonia Patrum veteris Ecclesiæ, ipsorumque aduersariorum, collegit SCHERZERVVS Syst. p. 436. sq. Non ergo*

E 3

opus

opus erat, tot clamoribus exegeticum Lutheri vocabulum, Christum exegetam alibi sequentis, Matth. IV. 10. coll. Deut. VI. 13. *lapidare*, vt loquitur ERASMVVS, Commentar. in Rom. III. Expressis verbis Hilarius, ad quem Cassander ipse prouocat, (vid. Io. Sauberti Cassander Euangelicus pag. 46.) *fidem solam iustificare* dicit, Can. VIII. in Matth. p. 362. edit. Erasmi. Et HIERONYMVVS: Impium per *solam fidem* iustificat Deus, non per bona opera, in C. IV. Rom.

Ἐπιόμνησις πρακτικά.

Cyprian de
pass. p. m. 467.

Vitius, Theol.
pract. p. m. 152.

Bernhard. in
Cant. Serm.
61. p. m. 167. K.

Tot peruagatus gratiae scholas, & pro tenebris lucem, pro lapideo pectore, carneum, pro perfidia fidem adeptus, iam ad interiores gratiae recessus admissus, hic demum, extra te positus, profunditatem miserationum DEI mirare, vbi pro iniustitia iustitiam accipis, & qui ex debito damnationi eras obnoxius, nunc gratis, sine ullo merito absolueris. *O quam mite iudicium, quod imperante Christo misericordiae dat locum, quam indulgens iustitia, districtiois suae temperamentum, Domino disponente, modeste sustinens!* Tantum est, causam desperatam prorsus, aduocato piissimo commisisse! Sed commissam tueri aliter nequeas, quam si de te praesumens nihil, vacuus accedas, et ab hoc implearis, nudus, et ab eo bestiaris, omnium rerum egenus, et ex opulencia omnisufficiencie ipsius locupleteris, hunc toto pectore recipias, Ioh. I. 12. in eum recumbas, 1. Pet. II. 6. in eo acquiescas, Gen. IV. 1. eius amplexibus vaces, Cant. III. 4. nec dimittas prius, quam benedixerit, Gen. XXXII. 26. Si tuæ viles iustitiae, tanto praestantior est illius iustitia. Tu tibi peccator eras, ille tibi iustitia factus est, *num quid dubites, etiam ambobus suffecturam: non est pallium breue, quod non possit operire duos.* Si iustus Pater, absoluit te iustitia Christi, si tu iniustus & miser, misericordia Patris pro te loquitur: ita, dum damnare poterat iustitia, aequae iustitia te beat, dumque saluum antea misericordia cupiit, nec tamen potuit, nunc saluare & cupit & potest.

THESIS XVI.

De Renouatione
& Vnionem
Myst.

Adoptatum ita in filium Dei, Gal. IV. 5. Christoque desponsatum, hominem, Ose. II. 19. 20. cum ad communionem sanctorum, Col. I. 12. nemo peruenire possit Ebr. XII. 14. nisi fuerit quoque sanctus, a) Ioh. XVII. 19. & Maiestas tanti sponsi iubeat, ab omni profanitate alienam, 1. Cor. VI. 11. externoque ornatu decoratam esse filiam regis, Ps. XLV. 14. SANCTIFICAT.

FICAT, renouando *b)* eum, 2. Cor. IV. 16. & instaurando ad diuinam rursus imaginem, Eph. IV. 24. vt iustificatus, & de gratia Dei certus iam factus, Rom. V 2. pacem, gaudiumque Spiritus habeat, Rom. XIV. 17. cumque Deo suo INTIME CONIUNCTVS, *c)* Ioh. XIV. 23. ceu templum S. S. Trinitatis i. Cor III. 16. Psal. CXXXII. 14. & arbor fructifera, Psal. I. 3. Esa. LXI. 3. omnia sua cogitata, dicta & facta, ad normam legis diuinæ *d)* instituat, Col. I. 10. *bonorumque operum* fit studiosissimus; Tit. III. 8. quæ, licet sint imperfecta, *e)* Hiob. IX. 2. nec quidquam ad salutem, siue promerendam siue consequendam conferant, Luc. XVII. 10. *facere nihilominus eum oporteat*, propter mandatum & voluntatem Dei, Gen. XVII. 1. Rom. VI. 19. Deut. XXVII. 26. vt quæ placeant Deo, propter Christum, & accipiant præmia gratuita, *f)* augmentum quidem gratiæ in hac, & gloriæ in futura vita. i. Tim IV. 8.

a) Sanctitas nempe habitualis, in *signo rationis, salutem, in fundamento suo iam positam, sequitur*, vt docet Ven. LOESCHERVS Strom. de Renov. §. 29. p. 125. habetque se ad vitam æternam vt ordo. vid. supra Thef. I. *b)* Renouationem, non esse actum gratiæ fundamentalem, sed mere τακτικόν, ordinis scilicet ad vitam æternam, & debiti nostri causa præscriptum, contra eos docemus, qui renouationem interioris hominis, in iustificationis momentum inferunt, & qui *ordinem cum fundamento confundentes*, a sanctificatione omnia pendere volunt; vt adeo renouatio iis in toto salutis recuperandæ negotio, omne prope punctum ferat, saltem prior sit iustificatione, seu,

seu, quod idem est, Christus *in nobis*, prior sit Christo *pro nobis*. vid. Ven. LOESCHER. l. c. p. 120. c) Consi-
 stit hæc unio, vt *relatiuæ* opponitur, in reali & imperscruta-
 bili substantiæ hominis fidelis, cum substantia S. S. Tri-
 nitatis & humanæ Christi naturæ coniunctione; qua fit,
 vt homo domicilium, immo templum Dei, in quo perpe-
 tuo manere, quantum in se est, velit, Ps. CXXXII. 14. Coll.
 I. Reg. IX. 3. euadat, adeoque, non tantum meræ *operatio-*
nis diuinæ & donorum, sed ipsius etiam *substantialis approxi-*
mationis fiat particeps, 2. Pet. I. 4. Act. II. 3. ad quem locum
 AVGVSTINVS: *adfuit in hac die fidelibus suis, non iam per*
gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam
Mæstatis, atque in vasa, non iam odor balsami, sed ipsa sub-
stantia sacri defluxit unguenti. vid. SCHOMER. Colleg.
 recent. Controu. p. 61. seq. Ex hac vero unione, oritur
 mutua *noivovia*, sed quæ propositiones personales prorsus
 excludit: ut adeo bene Christus nostra sibi appropriet,
 Matth. XXV. 35. Act. IX. 4. & quiuis fidelis cum Christo
 in throno eius sedere, Matth. XX. 23. vincere mundum,
 I. Ioh. V. 4. 5. non vero extra sphæram iustificationis, de
 qua LVTHERVVS intelligi vult, dicere de se queat: *ego*
sum Christus. vid. B. PFEIFFERI Sceptic. Spen. P. II. C. X.
 p. 396. seq. d) Nempe, vt i gratia non tollit penitus le-
 gem, Rom. III. 31. nec Christus ad eneruandam, sed im-
 plendam venit, Matth. V. 17. ita lex, circa normandas re-
 natorum actiones hucdum occupatur: quippe renatus,
 non vt *gratus fiat*, sed vt *gratus sit* custodire legem tenetur,
 Luc. XI. 28. neque hæc de iure suo quidquam remittit,
 vt ut credentes, qui ei in Christo satisfaciunt, non damnet.
 Rom VIII. 1. vid. B. WERNSDORFF. disp. de obseruat.
 mandator diu. p. 22. seq. CALOV. Bibl. ill. T. vlt. pag. 652.
 e) Vere enim & perfecte bonum opus est, quod perfectio-
 nem *graduum, partium & durationis* admittit, quo quidem
 respectu actiones renatorum perfectæ dici nequeunt, si
 sincer-

Serm. de
 temp. p. m.
 719.

sinceritatem intentionis, seriumque inchoationis & continuationis studium, ac *nisum virium in robore Domini*, ut loquitur Ven. LOESCHERVS apud FECHT. Syll. p. 458. excipias. Qui perfectionem *partium* statuunt, vel eam renatorum conditionem, qua omnibus partibus, quæ nouum constituunt hominem, instructi sint, vel partialem tantum legis impletionem intelligunt: his quidem facilius subscribimus, quam prioribus illis, quibus solenne est, circa noui hominis indolem, *perfectissimum*, & plenam imaginis diu. restorationem, cum insigni legis, de suo nihil cedentis, iniuria, aucupari. Nos, quia *perfectio*, complexum omnium virtutum inuoluit, Deusque *perfectam* imaginem, quam concesserat, repetit, partium quoque perfectionem inficiamur. Conf. Iac. II. 10. Rom. VII. 8. 20. 21. vid. HÜLSEMAN. in Form. Conc. pag. 595. In rem nostram vertimus, quod IACOBVS SALIANVS in an. 3629. No. V. p. 178. T. V. annal. Eccl. V. T. ad Nehem. XIII. 14. 22. scribit: *quid est, quod etiam de bono opere veniam petit, nisi quia etiam in sanctis operibus aliquid semper terrenæ contagionis contrahitur.* f) Conf. Luc. VI. 32. cum Matth. VI. 1. quod enim ibi *χαρις*, illud hic *μισος* dicitur. Deus sane reddit debita nulli debens, ut AVGVST. L. II. Confess. C. IV. loquitur, nullaque obseruatio legis, vel perfectissima, vilius mercedis meritoria est, Luc. XVII. 10. nihilominus, ad analogiam pacti, cui tamen seruando solus Christus loco nostri par erat, gratuitam mercedem Bonis Op. promittit Deus. Matth. X. 42. 1. Cor. III. 8. 2. Cor. V. 10. Gal. VI. 8.

Πρόσκλησις practica.

Qui in vetustatem corruptionis prolapsus, pristinae nouitati restitutus es, 2. Cor. IV. 16. Rom. VII. 6. collectis, quas indeptus es, viribus, caue, amplius vetustescas, ne deterior priore fors tua sit, Luc. XI. 26. & tu, profligatae inhabitantis gratia reus, tui a gratia profligationem merearis. *Pingas domum, quam Spiritus S. Cypr. L. II. capit habitare, pigmentis innocentie, illumines eam luce iustitie, tene incorruptam & sobriam religiose virtutibus disciplinam.* Liber quidem factus a lege,

F

seruus

feraus euasisti iustitiæ, Rom. VI. 18. unguentum spiritus accepisti, 1. Ioh. II. 27. ut per omnia euadas sapiens, utrumque nunc tecum ipse versa, qui ad imaginem diuinam restaurandus es. Et, si æstuatione legis arefcere hos istiusmodi vides latices, ad fontem propera, vnde succum iterum trahas. Sola iustitia Christi dabit, quod viator sitibundus quæris, sola & hic gratia tibi præsidio est, 1. Pet. I. 5. quoties fides languidula, licet amplo virtutum stipata choro, gressum moratur.

THESIS XVII.

De statu gratiæ, & huius reparandi ordine.

Cum vero iis maxime infidietur Satanæ, qui in luce ambulaturi, Esa. II. 5. gradiri sensim incipiunt, idem Spiritus Domini, hominem vltèrius CONSERVAT & CONFIRMAT in fide, Iud. v. 20. spe, Rom. V. 2. charitate, 1. Cor. XIII. 13. timore, Phil. II. 12. patientia, 2. Theff. I. 4. firmoque studio, pie, iuste ac sobrie viuendi, Rom. XII. 1. 2. deuote orandi, Matth. VI. 9. Rom. XII. 12. strenue aduersus Satanam, mundum & carnem pugnandi, Ephes. VI. 12. omnesque adeo Christiani officii & vocationis suæ partes, intra quotidianum corporis sacrificium, Rom. XII. 1. sui abnegationem, Matth. XVI. 24. imitationemque Christi, Ephes. V. 1. obeundi. Et, si in peccata prolabatur, stat nihilominus gratia Dei, quæ fœderis baptismalis a) memor, reuocat peccantem, Ierem. III. 12. recipit pœnitentem, 2. Sam. XII. 13. absoluit b) fidentem, Matth. IX. 2. reficit digne corpus c) & sanguinem Christi, in S. Cœna participantem, Matth. XXVI. 26. obsignando d) in corde eius fidei remissionem peccatorum, gratiam & salutem æternam. Ioh. VI. 54.

a) *Baptismus* enim, vti primæ Christi induitionis medium est, Galat. III. 27. qua quidem toga cincti, pace spiri-

Spiritus, quoad viatores sumus, nisi perfidia nostra aliter eueniat, fruimur, ipsiusque gratiæ fœderalis, I. Pet. III. 21. quam salutis donatio consequitur, Marc. XVI. 16. collationem inuoluit, Tit. III. 5. ita eius efficacitas, cum Deus salua fide sua abnegare se ipsum non possit, 2. Tim. II. 13. ipsaque vocatio ac dona Dei sint ἀμεταμέλητα, Rom. XI. 29. non potest non ex parte Dei ad finem vsque vitæ durare. *Exserit vero ea se, vt* Ven. GEORG. TEVBNERVS, Ecclesiarum Vratisl. Inspector, Prælect. Theol. de Bapt. §.IX. docet, *tum in regeneratione (latius accepta) tum in renouatione: ad illam pertinet remissio peccatorum, seu iustificatio, ad quam, (latius iterum sumtam) conuersionem, induitionem Christi, desponsationem cum Christo spirituales, fidei donationem, gratiosam in habitationem, unionem cum Christo, ob signationem iustitiæ fidei, & saluationem referas; ad hanc, sanctificatio, continuatio studiū sanctitatis, patientiæ, cursus ac militiæ spiritualis, ad quam in Baptismatis sacramento adstringimur, consummatio item militiæ ac æterna perfectio.* b) Clavis soluens & ligans, sicuti diuina auctoritate nititur, & ad tranquillandas pœnitentium conscientias, frangendam contra impœnitentium contumaciam, multum confert, ita nostro in primis tempore, vbi vilescere quibusdam ministerium incipit, nefanda vero cuique privato, ex temeraria sacerdotii spiritualis præsumptione, donis administrantibus vtendi conceditur libido, & quidquid circa hoc momentum instituti diuini est, vt *humanus tantum ritus*, facile auctoritate magistratus abrogandus, statuitur, tanto magis hoc κειμηλιον Ecclesiæ nobis custodiendum est: cumque nostro seculo non pauci, iam omnem remittendi peccata potestatem Ministris Ecclesiæ derogent, & scripturæ loca, de remissione duntaxat fraterna interpretentur, iam *declaratiuam* tantum, non *collatiuam* velint, plerique

etiam, quibus iura diuina maiestatica impugnasse piaculum non est, omnem excommunicationem ex Ecclesia proscribant, nos contrarium ex Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Coll. Ioh. XX. 23. I. Cor. V. 2. 13. XI. 29. constanter defendimus. c) Constans nostrarum Ecclesiarum doctrina est, corpus & sanguinem Christi, non naturaliter, sed personaliter spectati, (quo respectu, quia λόγος extra humanam naturam nullibi est, carnem Christi omnipræsentem esse non implicat) tamquam rem cælestem, in Sacramento Cænæ, non spiritualiter tantum, (hoc enim tanto mysterio non foret sufficiens.) sed sacramentaliter etiam præsentem, distincte, (cum naturaliter quidem non sacramentaliter hoc loco viuum corpus sanguinem contineat) sub specie panis & vini, hoc est, cum externo elemento, conf. Phil. II. 6. Rom. IX. 5. ore corporis, modo tamen a profanitate Capernaiticæ alieno, ab omnibus, iam ad remissionem peccatorum, iam ad iudicium sumi. Sequimur hic κατὰ νόδα Testatoris sanctissimi institutum, Matth. XXVI. 26. 28. Conf. I. Cor. X. 16. I. Cor. XI. 28. Grauius AVGVSTINVS, apud GERHARD. Loc. Tom. V. de Cæna pag. 204. hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. d) Sacramenta scilicet non sunt nuda signa, sed sigilla gratiæ, fidei productiua, (vt Baptismus) & ad vitam æternam conseruatiua, (vt S. Cæna) Conf. Rom. IV. 11. Tit. III. 5. vid. SCHOMER. Coll. Anti Calv. p. 125. sq.

ὑπόμνησις practica.

Luther. Comment. in Genes. C. 31. f. 139. Cypr. L. II. Ep. 21.

O! quantum est, in gratia stare, Rom. V. 21. ne nutes roborari, Rom. VIII. 16. sicque perfici, vt quamlibet peripateticum insidiari tibi leonem videas, I. Pet. V. 8. huic tamen resistere possis, & qui te seruum tenebat, hunc tibi subiugare, ne dominetur, Rom. VI. 14. Quam iucundum, Deum tantum, nulla apud homines ignominia. ratione. habita, habere tibi propitium, & missis, quæ infra te, iis vacare, quæ licet,

supra te sunt, hoc est, versari cum Deo, Col. III. 3. eoque subduci, hinc speculari rerum facies, & oculis in diuersa porrectis, ipse a terrenis contactibus, quantum licet, liber, fluctuantis mundi turbines intueri queas. Tene, quæso, portionem sperando, quam in communionem sanctorum re ipsa habiturum te credis, Col. I. 12. Funestum tibi sit ex gratia excidisse, quia extra hos versari limites exitiosum. Sed, si excidere contigit, non tua improbitas fidem tollit Dei; Rom. III. 3. æternum fœdus est, quod in baptisate iniit tecum Deus, ideo quoque, & ut fidei tua, iis, quæ in sensus cadunt citius subscribenti, succurratur, altero sacramento tibi se obstrinxit.

THESIS XVIII.

Quem ita ex toto hominum genere, (quos *προνυμένως* saluari efficaciter vult, ut faciat bonitatis suæ participes, quæ bonus,*) salutis istiusmodi ordini se submissurum, Actor. XIII. 48. vocationi Dei *κατὰ πρόθεσιν* factæ Rom. VIII. 28. pariturum, in fide ad finem vitæ perseueraturum, Matth. XXIV. 13. Conf. 2. Thess. II. 13. Ierem. V. 3. adeoque requisitam hoc loco reconciliationis, tum acquirendæ tum acceptandæ viam, 2. Cor. V. 18. sq. feliciter emensurum, præuidit Deus, ab æterno quidem ELIGIT in Christo, Eph. I. 4. in tempore autem, dimissum in pace, Luc. II. 29. qua animam, Sap. III. 1. Luc. XVI. 22. mox post beatam analysin, Luc. XXIII. 42. seq. qua corpus vero animamque simul, die extremo resurrectionis mortuorum, Iob. XIX. 25. Ioh. XII. 24. 1. Cor. XV. 22. 37. & iudicii vniuersalis Matth. XXV. 31. GLORIFICAT, eique coronam vitæ æternæ, 2. Timoth. IV. 8. Apoc. XIV. 13. per & propter vnicum

De Electione,
& quæ bonius executione est,
Glorificatione.
* Damasc. de orth. F. L. II. C. 29.

cum Domini nostri Iesu Christi meritum Act.
IV. 12. donat.

Supponimus hic, Deum, ex benevolentia vni-
uersali gratiosa, interuentione spec. Filii prouocata I.
Tim. II. 5. adeoque voluntate *antecedente*, (qua voce
iam olim CHRYSOSTOMVS, Homil. I. in Eph. p. 433.
HIERONYMVS, ad C. I. Eph. DAMASCENVS, Lib. II.
de O. F. C. 14. 29. vsi sunt) non tamen *hypothetica*, siue, a
conditione fidei impossibili suspensa, (quo nomine
merito vniuersalistæ hypothetici notantur) sed *ordi-
nata*, h. e. secundum præscriptum in verbo Dei ordi-
nem mediorum procedente, Ose. XI. 4. denique *efficace*,
cum intentione Dei coniuncta, nec quæ gratia parti-
culari & abundante suppleri debeat, (vt STRIMESIVS
& HOLTZEVSIUS, volunt,) *omnes promiscue* homines
saluos fieri velle. Omnibus ergo patet gratia, *vt cre-
dant*, & credentes saluentur, omnibus ea offertur, &
citra *bonum dolum*, aut *sanctam Dei simulationem* denun-
tiatur, vt adeo primum salutis consequendæ momen-
tum a parte Dei sit, *omnium*, eorum etiam qui pereunt,
salutem efficaciter voluisse, mediaque progeneratiua
fidei *omnibus æqualiter* obtulisse, quibus vel accepta-
tis vel repudiatis, voluntas Dei *consequens*, iam *electoria*,
iam *reprobatoria*, enascitur. Et *eligens* quidem gratia,
eum ordinem seruat, vt Deus, hominem prius creare,
lapsi misereri, Rom. XI. 32. ideo filium Dei in redemptio-
nem dare, Ioh. III. 16. vt peccata expiaret, eiusque sa-
tisfactionem homines fide sibi applicarent, hoc fine,
omnes serio vocare, regenerare, iustificare & sancti-
ficare ab æterno decreuerit: vt adeo, qui in Christum
crediderit, (en hypothesin, voluntati consequenti
tantum familiarem) & in fide perseuerauerit, Apo-
cal. II.

cal. II. 10. æternum saluus fit; (en πρόθεσις) cum vero multos media gratiæ despiciatui habituros, & in malitia permansuros, vel, si conuertantur, in peccata relapsuros, paucos vero finaliter credituros præuidisset, (en πρόγνωσις, Actor. II. 23. Rom. XI. 2. 4. generalem illam, non particularem, seu prædilectionem, vt Prædestinatianis audit) hos quidem donis gratiæ in hac vita cumulare, in æterna vero saluare non modo decreuerit, sed etiam, ob indubitatam πρόγνωσις, Rom. IX. 6. actu ad salutem elegerit, (en προώρισμον.) Vid. CALOV. Bibl. ill. T. vlt. pag. 651. a. vbi, gratia, inquit, electrix nulla est, nisi in signo rationis, vt loquuntur, antecedit gratia condonatrix peccatorum: quia plus est ad vitam eligere, quam remittere velle peccata, & præsupponitur omnino gratia illa diuina, qua nobis vult peccata nostra & pœnam peccatorum, mortem æternam, propter Christum condonare, ante gratiam Dei, qua placuit nos ad vitam æternam prædestinare. Omnes contra, quos oblatam salutem finaliter contemturos præuidit Deus, licet & horum salutem serio, & ad finem vitæ, cum quo demum antecedens voluntas terminatur, (vid. FECHT. Syll. pag. 252.) volens, Esa. V. 4. L. I. reiicere, Ioh. III. 18. Marc. VI. 16. æternumque punire decreuit, non quod ad pereundum, Prou. XVI. 4. conditos ac determinatos vellet, quippe, mortem peccatoris se nolle, iururando testatus, Ezech. XVIII. 23. sed quod vasa iræ, a semet ipsis ad interitum parata, Rom. IX. 22. ægre quidem, at iuste, puniat. Matth. XVIII. 34. Grauius hanc in rem RUPERTVS TVITIENSIS, apud VOSSIVM, Hist. Pelag. L. VII. p. 651. Omnipotentia Dei, non vna tantum manu suos actus expedit, sed duabus: scilicet misericordiæ & iudicii: ea nimirum lege, vt prius
nitatur

nitatur manu misericordiae operari; Et ubi ista manu,
superbia sibi obsistente, virtutem illam facere non potue-
rit, tunc demum manu altera, manu iudicii, exerta, quos
emollire non potuit, confringat, tamquam vasa figuli. ut qui
voluntatem Dei spreuerint inuitantem, voluntatem Dei
vindicanter sentire debeant. vid. VOSSIVS l. c. p. 669.

Ἐπόμνησις practica.

O! quantum Φιλανθρωπίας diuinæ documentum, de te cogitasse
Deum, ut bene esses, antequam esses, & adamatum te in Christo, antequam
redamare posses. 1. Ioh. IV. 19. Non suffecit crucis sanctissimi Seruatoris pe-
ripheria concludi te, & ut aduersus mortem tutus intra hos circulos degas, fi-
dem tibi serio offerri, etiam peculiarem sibi te, Rom. IX. 23. 1. Pet. II. 9. quem
crediturum præuiderat, inque dypticha sua relatum, Ebr. XII. 23. voluit.
Numquid vero tam pretiosas de te cogitationes Dei Psal. CXXXIX. 17. iam
securus, iam tibi placens ipse, adspicis, qui cum timore & tremore tuam ope-
rari salutem, Phil. II. 12. electionemque tuam tibi ipsi firmam reddere, 2. Pet.
I. 10. iuberis? Arduum est eligi, quia arduum in fide perseverare. Ut vero
perseueres, conatu opus est & vigilantia, ne forte somno præuentus letali, tu
tibi desis ipse, cui Deus numquam erat defuturus, aut in suppliciis potestatem
eius experiaris, cuius in donis misericordiam contempsisti. Si ubi, hic
certe coronat tandem

August. de
Sp. & litt.
C. 33.

F I N I S.

Χάρις δὲ τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτῆ
δωρεῶ!



Coll. diss. A. 219, misc. 4